

B T . SZ

PROBLEMATUM LOGICORUM
RODOLPHI
GOCLENII PROFESSORIS in Academia Mar-
purgensi,
Pars V.

De Ordine & Methodo
Didascalica.

Quibus præfixa est hujus doctrinæ Synopsiſ.



Cum S. Cæſ. Majest. Gratia & privilegio,
MARPURGI,
Typis Pauli Egenolphi, Typogr. Acad.
ciclo 15 xcVIII.

A M P L I S S I M O , C O N S V L T I S-
simo, & doctrina liberali, ac virtute eximio viro,
J O H A N N I H E U G E L I O , I l l u s t r i s s i m i & f l o-
rentissimi Principis Mauriti, Landgravii Haf-
sia, &c. intimo Consiliario, &c. pa-
tronu suo honorando

S.P.D.

ET multos jam annos, V. A. te utor patrono :&
scio, te de meis operis scholasticis honeste existi-
mare, & deoq; de universa doctrina philosophi-
ca, ut hominem pulere ab ea instructum, recte ju-
dicare. Ac volo hoc publicè pluribus esse notum
testatumq;. Video enim hoc mihi quidè esse honorificum:
tibi verò, præter cerera, quæ in te sunt decora, gloriolum. Ea
igitur ob res tibi dico hanc meam lucubratiunculam, affe-
ctam potius, quam confectam, de ea doctrina, quæ, fusa &
manans per omnes philosophiæ partes, docet rem dissolu-
tam divulgantiq; recte conglutinare, & ratione quadam con-
stringere: seu dispersa dissipataq; documenta certis discipli-
nis concludere, observato ordine, qui naturæ nostræ maxi-
mè est consentaneus. Hoc quæso observantia erga te mes-
testimoniū ingenuè, quod facis, accipe: dum à me alios ha-
beas otii mei literarii fructus, plus liberalis oblectationis
habituros: & me in tuis numerare perge. Sic longum ma-
neat vita tibi flosq;, decusq;, Marpurgi, Calend. V I l b r i b u s.
Anno 1593.

Rodolphus Goelenius



SYNOPSIS PRAECE-
PTORUM RODOL. GOCLENII,
DE ORDINE ET METHODO: affe-
rens lucem Problematis.



UIA nomina sunt involucra rerum, C A P. I.
& ambiguitate illorum non discussa
discentes facile turbari possunt, hoc
primum teneatur.

2. Ordo & Methodus interdum
distinguuntur: ut¹ ordo sit dispositio legitima prä- (1)
ceptorum discipline alicuius: Methodus verò sit pro- Græcè γάγιος
cessus declarandi & probandi präcepta illa: seu via, διδασκαλία
qua discipline partes ignotiores obscurioresq; per nū
manifestiora & notiora explicantur & demon- 2) Græcè α-
strantur. liquando

3. Interdum accipiuntur pro eodem, nempe pro re- ἕδος καὶ λε-
cta dispositione seu collocatione präceptionum ejus- 2) δι-
dem generis. δασκαλίας

4. Methodus igitur, vocatae accepta, est progres-
sio intellectus à clarioribus & illustrioribus ad obscu-
riora, ad rerum cognitionem accommodata.

5. Quæ cognitio vel per se potissimum, vel propter³ 3) Hæ sunt
operationem: quæ est vel τοῖνοις vel τεχνικ; id est, τοινηγα
vel fabricatio vel actio, queritur. Illud fit in scien- seu factivæ.
tiis, quas Theoreticas dicimus: Hoc verò in³ artibus 4) Hæ cest
& philosophia morali. τεχνικ; seu activa;

6. Estq; ita Methodus Ordo, vel Via doctrinæ, scilicet methodus speciatim accepta.

7. Ad disciplinæ enim compositionem adhibetur vel ordo ferè tantum: ut cùm aut Epitomæ scribuntur,

^{3) Cognitio} enim λογικὴ est vel ratione rerum per se manifestatur, aut res cognitæ jam judicata & probata³ vel etiam sua ipsarum luce clarentes disponuntur. Vel ordo & Methodus simul: ut cùm res disponuntur se aequabili ratione digeruntur simul & demonstrantur. Sic Physicus præcepta physiologiæ certiores collocat, & si quid dubii incertiq; minusve illustre esse videtur, id καλῶς Syllogismi lumine illustrat & necessitate convincit. Mathematicus ita ordinat sua præcepta, ut à principiis progrediatur ad orta ex his &, si quid difficultatis aut obscuritatis sit in principiis, id demonstratione, inductione, & clarissimis exemplis elevat ac minuit.

8. Commune igitur est Ordini & Methodo (voluntatis accepta) procedere à Principiis cognitionis: à notioribus ad ignotiora: & ita ad cognitionem conferre.

CAP. II. 9. ORD o seu ordo doctrinæ est progressio ab iis quorum natura est, ut ex se cognosci possint, ad eas, quorū natura est ut non possint cognosci nisi ex alio.

10. Sive sit universalis, id est, universi corporis doctrinæ, sive particularis, id est, partis alicuius.

11. 1. Commune igitur omni ordini seu bene ordinate doctrinæ est, progredi ab universalibus & communibus ad particularia & propria, ut à principiis cognitionis¹ mentis nostræ, ad ea quæ inde dependent, se

2) Ad diffe-

- seu ut à notioribus nobis secundum cognitionem distinctam. rentiam
γνώσεως
αἰδητικῆς
cognitionis
qua sensu
percipitur.
2) Media est
inter perfec-
tam scien-
tiam & per-
fectam igno-
rantiam rei,
12. Cognitio distincta est cognitio rei exquisita seu accurata & perfecta.
13. Opponitur ei² confusa, hoc est, rudis, leviuscula, imperfecta.
14. Distincta cognitione cause est non tantum quod sit sed etiam natura ejus cognitionis. Confusa est, qua cognoscimus tantum quod sit, non etiam quid sit. Confusam igitur cause cognitionem consequimur per effectum. Distincta effectus cognitionis est, cum ipsum esse novimus per cognitionem cause. Confusa: cum absq; cognitione cause.
15. Principia igitur cognitionis & apprehensionis nostrae hic sunt, ex quorum cognitione reliquorum distincta cognitione pendet: hoc est: Ea, quae ad aliorum distinctam & meliorem cognitionem necessaria sunt cognitu, prius sunt tractanda: quod iis ignoratis reliqua imperfekte cognoscantur, 1) simplici-
ter vel ex hy-
pothesi.
16. Illa diximus Universalia,
17. Universale est, quod multis commune est: seu quod ad plura communiter attinet.
18. Ideoq; facilius à nobis cognoscitur, quam minus universale & singulorum proprium: ut prius cognovimus equum, ut corpus, quam ut animal, & prius ut animal, quam ut equum à bove & asino distinctum. Mens nostra prius in Socrate naturam corporis: deinde viventis: postea animantis, & tandem hominis conspicatur, ut ait Zarabella.

19. Universale est in causando vel prædicando.

20. Universale in causando est, quod plurium est causa. Talia sunt principia in disciplinis. Sic minus universalia sunt principiata, id est, quæ ex principiis pendent.

21. Universale in prædicando est, quod de pluribus prædicatur, ut genus: quod totum est, quod multis inest, quibus est esse entia: Itaq; habet rationem cause: vel generale quid & superius, ut Ens: quod genus vulgo, sed impropriè, vocatur analogū: & omne commune nomen τοις εν, & αριστοίς. Sic minus universale est species, vel speciale quid & inferius.

22. Universale in prædicando aliquādo fit universale in subjiciendo, & à philosophis subjectū genus dicitur. Estq; disciplina subjectum cōmune seu generale seu totale: quod omnibus, quæ in disciplina considerantur, sub jacet. Opponitur ei speciale seu partiale. Sic in

23) Hoc totius physica subjectum ² totale & aequatum huic scientiæ est scientiæ. est corpus naturale communissimè sumptum.

3) Hoc partiæ est scientiæ, & est alii. ³ Partiale est homo, de quo agitur in scientiæ, quæ partis est physica. Illud in arte medica est corpus humanum. qua pars subiecta totius, 23. Exempli igitur causa: Cognitio generis ad speciem corporis naturalis,

ut homo cierum, causarum ad effectorum perfectam & propriam cognitionem consequendam necessaria est. Causæ igitur & genera dicuntur principia cognitionis nostræ distinctæ: & prius de causa, quam de effecto; prius de genere, quam de specie agendum est. In physica, principia & causæ motus sunt motu notiora cognitio-

DE M E T H O D O.

7

Quitione distincta: Motus verò est notior cognitione confusa. Ordo igitur postulat, ut à causis ad motum procedatur.

Principia cognitionis in physica ordinata cause, non motus & alia accidentia.

CAP. III.

24. Itaq, ordo melius, hoc est, perfectius & facilius docendi instrumentum est.

25. II. In omnibus disciplinis ordine digerendis res colliguntur passim (sed homogeneæ, ut antè attigi) definitionibus: & distinguuntur rursum distributionibus: ut partitionibus & divisionibus: ac ita à summo genere per media ad extrema usq, deducuntur, & sic collocantur: Ac, ubi opus est, rationibus declarantur: exemplisq, illustrantur: & transitionibus colligantur.

26. Ita hic multa sunt unum: & unum multa.

27. Hactenus generatim de ratione ordinandi ea, que in disciplinis tractantur: Quæ tamen alicubi, id est, in aliqua parte disciplinæ, vel est leviter perturbata, id est, aliquantulum facilitioris doctrinæ gratia invertitur: quanquam hoc accidit rarius: ut cùm minus universale præponitur universali. Vel est arbitria: nempe cùm hoc non magis ad illius, quam illud ad hujus cognitionem & intelligentiam facit.

CAP. III.

Exceptio: ordo alicubi est àρωμαλος; vel arbitrius.

28. Leviter perverse & perturbata in doctrinæ particula exemplum est: quod Aristoteles communia plantis & animantibus, quæ facilitiora sunt cogniti in animantibus, in plantis verò difficiliora, prius declaravit in animantibus, ut postea in plantis facilius perciperentur: & ita prius egit de animantibus, quam de plantis,

29. Arbitrariae exemplum est: cum hic in physice historiam equi, ille historiam bovis priore loco ponit.
30. In ordine arbitrario licet præponere vel natura prius: vel dignius seu nobilius: vel ignobilius.
31. Ergo hic servare malo ordinem Naturæ (scilicet generantis.)
32. Sæcundi ordinis naturæ locus non est, ut sit in species bus unius generis, quæ simul natura sunt (ut sunt bos & asinus) & in accidentibus duobus vel pluribus unius subjecti, quorum nullum est alio prius naturæ nobilius præponere malo, quam ignobilius: ut affirmatum, quam negatum.

33. Directum & naturalem ordinem teneo in animali non rationali & rationali, illud præponendo, hoc postponendo. Illud enim ad hujus cognitionem

CAP. V.

I. Scaliger modos descendendi vocat Alter enim alteri contra præposuerim equum,

rius est tan- 34. Sequuntur species ordinis ¹ vel potius ² modis
tum quo ad principia, non processus in ordine (potissimum universali.) Ordo est
quoad tota Cūdēmκος componens: Vel ἀναλυτικός, resolvens.
dispositionē. Compositi- 35. Componens est, qui à primis principiis progre-
vus ordo ditur ad posteriora principia, videlicet secunda, ter-
congruir ad tia &c. (hinc ad principiata.)

naturam ge- 36. Sic dictus; quia generationem & compositio-
norantem, 37. quis proce- nem physicam imitatur, à materia & forma ad com-
dit à simpli- pliaribus ad posita ex his progrediens.

magis com- 37. Hoc ordine traduntur & scientiae, quas vocant
posita, coll.

DE M E T H O D O.

9

contemplatrices, ut est Physica & Matthesis: & disciplina operatrices instrumentales, quæ dicuntur logicae.

38. Resolvens est, qui à finis ultimi vel agendi vel efficiendi à nobis definitione progreditur ad prima principia, per quæ finem illum producere possimus.

39. Sic dictus, quia à cognitione finis ad principia pervenire est finem resolvere in sua principia seu instrumenta, quibus in subjecto fieri possit: seu, quia finis resolvitur in sua principia, & ex fine deducuntur principia, & media, quibus potest produci. Hic finis omnes causas nodo velut Herculeo connectit.

40. Hoc ordine traduntur disciplinae operatrices reales, id est, quæ querunt affectionem, ut ars Architectonica: vel actionem, ut Ethica.

41. Exemplum ordinis compositivi hoc esto:





42. Exemplum Ordinis resolutivi. Ethica primò agit de Beatitudine, ultimo humanorum bonorum, seu fine & scopo, ad quem homines omnes suas actiones tanquam sagittas ad signum dirigunt. Deinde de his, quae ad finem hunc assequendum spectant: cùjusmodi sunt virtutes, earumq; species & differentiae.

CAP. VI. 43. Hucusque de ordine: qui totius discipline est & instrumentum, dirigens nos ad cognitionem sc̄ientiam.

44. Methodus (speciatim accepta) est processus è notis cognitionē ignotioris doctrinæ partis perficiens.

45. Est igitur instrumentū venandi comparandivē certiore cognitionem, seu notitiae perfectionem, quanta quidem haberi potest. Ut enim ordine omnes retractandæ disponuntur: Sic Methodo singulæ disputantur & declarantur.

46. Methodus est primaria: vel secundaria.

47. Primaria est progressio dianoëtica, seu discursus, quo aliquid ex alio necessariò infertur, seu scien-
tifice colligitur.

48. Estq; à priori, vel à posteriori.

49. *Apriori nihil aliud est, quam i causa immo.*¹⁾ Id est, similiata ad effectum: κατ' ἐξοχὴν Demonstrativa methodus dicitur. Dicitur & demonstratio diuinis: hac igitur res scitur per suam causam.

50. *A posteriori est vel ab effecto proximo seu immediato ad causam: vel*²⁾ à particularibus ad universale,²⁾ enim habet ratione causæ: particulares, esse tamen,

51. *Illa dicitur Demonstratio òn. Hac verò επασθων, id est, inducō.*

52. *Methodus secundaria est, quæ ex aliis etiam argumentis probat vel declarat: ut è causa remota, adjunctis signis, &c.*

53. *Exempla demonstrationis à causa simpliciter proxima. Scientie capacitatem seu docilitatem ut proprium adjunctum, inesse homini, ut primo subjecto, per primam causam, scilicet rationem, sic demonstratur: Omne rationale est capax scientiæ. Omnis homo est rationalis. Ergo omnis homo est capax scientiæ. Si ex prima materia demonstrant Physici corpora naturalia interire posse: Lunam lumine deficere demonstrant à causa externa efficiente, scilicet terræ diametrali objectione.*

54. *Exemplum demonstrationis òn ab effecto notiore. In physicis generatio sensu nobis cognita est; principium verò, quod dicitur subjecta materia, incognitum est. Hoc igitur demonstratur sic: Ubi est mutatio, ibi est subjecta materies. In corpore naturali est mutatio: ut ortus, interitus, variatio. Ergo in corpore naturali est subjecta materies.*

55. Exemplum Inductionis 2. Ethic. Aristotelis sic arguitur: *Quicquid est naturale, id nō mutatur consuetudine. Virtutes morales mutantur consuetudine.* Ergo virtutes hæ à natura nobis nō insunt. *Propositio major ostenditur seu declaratur inductione. Lapis millies jactatus sursum assuesieri nō potest, ut tandem sua spōte, priore natura mutata, sursum feratur. Ignis non potest ita assuesieri, ut deorsum suapte natura feratur, sed semper propter levitatem suam sursum tendit.* Nec aliud quicquā potest secus condocefieri & assuescere atq; natura fuerit comparatū: Ergo quæ naturā nobis insunt, ea nulla assuefactione possunt mutari.

56. Exemplum est secundarie methodi: cum aliquid in disciplina declaratur definitione: probatur divisione, vel continua ratiocinatione, multos in se continente syllogismos, ut sorite: vel dilemmate. A causa remota seu mediata & non adæquata exemplum est: *Omnē corpus mixtum est mobile. Animans est corpus mixtum. Ergo animans est mobile.* Hic latior est causa, quam affectio quæ probatur: cuiusmodi probationes, quo ad ejus fieri potest, vitandæ.

57. Harum autem methodorum interdum fit inter se complicatio. Exemplum est libr, 10. Ethicorum Aristotelis cap. 6.

58. Itaq; qualibet methodus est simplex vel mixta.

59. Simplex: cuius partes nullis aliis instrumentis, quibus declarentur, opus habent.

60 Mixta seu composita, cùm declaratio partium alia atque alia requirit instrumenta.

DE M E T H O D O.

61. Sic partim syllogismo, partim definitione & divisione aliquid potest declarari: pro rei natura, dissentis commodo, docentis consilio & instituto. Et hæc quoq^z hactenus de ratione declarandi & probandi ex iis, quæ nobis manifesta & cognita sunt, ea, quæ sunt obscuriora.

62. Ex tota autem tractatiuncula hac attentus lector intelligit:

63. In ordine causas & principia rei seu essendi solere esse principia cognitionis: (& vicissim) à quibus proceditur ad consequentia. Unde enim esse seu essentia rei pendet, inde quoq^z solet rei cognitione pendere (& vicissim:) In methodo vero effectus, cum non sint principia & tñ seu rei, principia etiam cognitionis esse posse: ut in physica doctrina per motum cognitæ est materia: per operationes cognitæ est forma: atque adeò per modum & operationes res naturales. Sed intelligenda hæc ita, ne negligatur discriminus inter distinctam & confusam notitiam.

Aliæ commonefactiones.

I. Prius notiusq^z natura & doctrina seu institutio-
ne interdū accipiuntur pro eodem, id est, pro eo, quod
explicari intelligiq^z potest, tametsi illud, qui cum cla-
ritate notitiae comparatur, minimè explicetur & in-
telligatur. Interdum distinguuntur: ut illud res ut
sunt, seu rerum essentiam: Hoc vero, res ut nobis in-
telliguntur, hoc est, nostram cognitionem, respiciat.
Secunda. Non est idem semper Ordo in rebus, quo
sunt,

sunt, & quo nobis cognoscendæ apprehendendæ, proponuntur. Id est: potest esse aliquid ordine naturæ & existentia originisq; prius, quod ordine cognitionis & ratione doctrinæ est posterius.

i) Nobis bono ingenio præditis & exercitatis: ut quod simpliciter naturaq; dulce cōposita & effecta ordine perfectionis seu scopi naturæ. Sunt enim suarū causarum finis. Notiora & priora naturæ, sunt causæ, simplicia, & partes magisq; universalia, ordine generationis naturæ seu oratione originis & temporis: quia effecta & composita ab iis pendunt: ut sint, habent à causis: & sine iis esse nequeunt: seu: quia natura producit effectus è causis.


Quinta. Non eadē prorsus, sed quodāmodo contraria est via scientiis & artibus inveniendis & dendis discēdisq;. Ordo conformatiōnis doctrinæ est ab universalibus: inventionis à particularibus, singulribus, sensilibus.

Sexta. Intellectus enim noster, qui utitur sensu externorum & communis exterioris ministerio, primo versatur circa ratiōnē seu extrema. Extrema, in quibus mens & cognitio hominis consistit, sunt duplia: Quædam sunt summa, id est, in supremo ordine seu gradu cognitionis: Quædam sunt infima. Suprema seu summa sunt universalia & prima principia, ultra quæ in cognitione rerum mens hominis non potest progredi, itaq; in iis conquiescit. Infima sunt

sunt ræd' exasa, id est, singularia, infra quæ non possumus amplius descendere, sed ab his oportet facere initium cognitionis, & paulatim ad summa & universalia per inductionem ascendere. Hi ergo sunt intellectus & cognitionis nostræ termini ac limites.

Septima. Cognitio universalium λογικὴ seu intellectiva καὶ ἐξοχὴ dicitur: præcipue enim in iis intellectus versatur. Cognitio verò singularium, αἰδητικὴ, id est, sensitiva dicitur: quia intellectus noster utitur sensibus externis, & communi interiore, ita ut sine horum ministerio singularia ad eum non perveniant.

Octava. Ordo doctrinæ est à principiis non tam essendi & existentiae rerum, quam nostræ cognitionis & apprehensionis. Principia cognitionis seu intellectus in ordine sunt, ex quorum cognitione aliorum omnium cognitio pendet. Itaq, ex illis alius melius & perfectius discit.



PROBLEMA I.

HT si omnis tractatio requirit ordinem, sine quo mera inge- ritur obscuritas: (Quod enim dicitur Dialectica esse Philo- sophiae oculus, imo Sol omnes ejus partes largissima luce collustrans, quo sublato, tenebris involvi omnia necesse sit: null. id in primis de methodo verum esse existi- mo.) Disciplinarum tamen integra descri- ptio atque intelligentia magis exquisitum il- lum efflagitat. In aliis materiis seu argumen- tis non raro aliqua uspiam adhibetur $\lambda\sigma\gamma\alpha$, seu $\lambda\sigma\epsilon\sigma\eta\omega\tau\epsilon\sigma\eta$, id est, ordo inversus: ut cum duabus propositis quæstionibus pri- us respondeatur ad secundam quam ad pri- mam, l. 3. §. Labeo, de Incend. ruin. naufrag. quod & Aristotelem in disputationibus suis aliquando facere meminimus. Sic Carda- nus in Subtil. alicubi quod primo loco præ- posuit, secundo tractat, (quamobrem Scali- ger plus æquo severus criticus turbulentum eum vocat exerc. 250.) Ac crypsis etiam seu anomalia aliqua ordinis conceditur alicubi in primis doctrinarum rudimentis, quæ pin- gui seu crassa, quod ajunt, Minerva, in grati- am eorum, qui incipiunt discere, conficiun-

tur. De perfecta igitur accurataq; disciplina-
rum liberalium earumque universarum con-
formatione quæro primùm:

*An conciliari possint & debeant hæc: UNICA dun-
taxat est disponendi artem Methodus seu ordo: &
DUÆ sunt formæ seu differentiæ Methodi seu or-
dinis?*

Affirmatur.

INTER vexatissimas hodie quæstiones
hæc quoq; una est: Sitnè unicus tātūm ordo,
an plures? De ea quid sentiam dicam liberè,
Unicus est ordo omnibus artium & scientia-
rum scriptoribus propositus: A clarioribus
ad obscuriora, à generalibus ad specialia, qui
à capite per media ad pedes descendit: qui à
summo incipiens & proxima quæq; partiens
ac collocans, secundo loco secunda, tertio
tertia, quarto quarta, ac deinceps similiter,
in ultimis seu extremis acquiescit. Hæc uni-
tas ordinis & progressus, qui ferè omnium
accuratiorum tractationum & doctrinarum
communis est, non (nisi quid me fallit) tollit
compositivum & resolutivum ordinem: sed
opponitur redditui, seu retrogradationi, seu
recursui & regressioni à specialibus ad gene-
ralia, quæ non est ordo, hoc est, non est ordo
artificiosus, scientificus, concinnus, non est
ordo intelligentiæ, memoriæ, facilitatis: Ut
si quis Grammaticen docere incipiat à Syn-
taxi,

taxī, hinc veniens ad Etymologiam, partes orationis, id est, vocum species explicet, Conjunctiones primū & Adverba, Verba deinde & nomina, item syllabas & literas declarat: Hoc scilicet fuerit à tenebris ad lucem, non à luce ad tenebras discutiendas dissipandasq; progreedi: ordo ergo *διδασκαλία* semper procedit à notioribus & clarioribus ad ignorantiora & obscuriora, (hoc est ab iis, quorum doctrina facile sine consequentibus potest accipi, ad ea, quorum doctrina non item sine antegressis intelligi potest) à generalissimis per *ιπάληνα* ad specialissima, non contrà à specialissimis, per subalterna, ad generalissima. Nec unquam aliqua disciplina tota integraq; efformari potest, sola forma compositiva, vel resolutiva, sine eo quod utrique commune est, nempe ut universalia præcedant, particularia sequantur; quia illa his luce claritatis præstant. Itaque hac ratione & hoc sensu unicā tantum est disciplinæ disponēdæ methodus. Ac licet sic inferre exempli causa: Grammatica progrereditur à regulis ad exempla & exceptiones, non contrà, ab exemplis vel exceptionibus ad regulas. Arithmeticā procedit ab integris ad fractiones, nō verò à fractionū numeratione ad integrorum. Procedit à notatione ad additionē, ab hac ad subtractionem, ab hac ad multiplicationem; non

verò à multiplicatione ad subductionem &c.
 Ethica ita disponitur, ut primum definiatur
 summum bonū, è virtutis actione: tum virtu-
 tis species & differentiæ ad extremum dein-
 ceps explicetur: Non verò ita ut primum ex-
 placentur differentiæ & species virtutis: po-
 stea virtus generatim. Item Physica ita dispo-
 nitur, ut primum definiatur communiter
 naturalis res, tum hæc in genera simplicis &
 compositæ: postea simplex in cœlum & ele-
 menta: deinde composita in inanimas & ani-
 matas dividatur: Non verò ita, ut animatæ res
 primo, inanimæ secundo, elementa tertio,
 cœlum quarto, naturalis res ultimo loco tra-
 etetur, & explicetur, &c. Ergo unica tantum
 est ratio normaq; διδακτηρίων disponendi, non
 duæ: Una à generalioribus: altera à speciali-
 oribus: seu una à superioribus ad inferiora
 descendens, altera ab inferioribus ad superio-
 ra ascendens. Quod autem tota aliqua ars so-
 lo modo synthetico vel analytico legitimè
 efformari nequeat, sine eo quod utriq; com-
 mune esse diximus, hinc liquet: Justinianus,
 ut judicat quidam nobilis Jureconsultus, in-
 cipit Instituta à fine jurisprudentiæ politico
 supremo, JUSTITIA: Tum procedit ad uni-
 versalia juris seu LL.principia, quæ sunt pri-
 ma quasi media & destinata, quibus ad finem
 pervenitur; & principes veluti fontes, unde
 tota

tota juris doctrina effluxit seu emanavit in tantam amplitudinem. Hinc progressus ex simplicibus extruit conjuncta, ex universalibus particularia, & horum partes rursum singulis cum definitionibus ac divisionibus exponit, tum certis regulis summatim complectitur, & concludit; donec tandem omnibus absolutis finem illum, quem initio ostenderat, adipiscatur. Sic Polemicā (quę ars seu prudētia est recte administrandi bellū: aliās disciplina militaris) descripturus methodicè incipit quidē à notitione finis, videlicet BELLI, sed mox tamen progeries ab universalibus ad particularia, ab iis quę non pendent ex aliis, ad ea, quę ex aliis prioribus pendent: ut ab apparatu belli ad castra: à castris ad congressum: non contrā à congressu ad castra, à castris ad apparatus. Idem judicium esto de Architectonice, id est, artis architectandi, hoc est, ædificandi (quę Vitruvio est Architectura) cōformatione. Secundū hęc accipi volo theses de ordinis unitate, ad finem harum quęstionum adjectas, quę ad disputandū ante aliquot annos in hac Academiā propositę sunt.

P R O B L E M A II.

An omnis ordo doctrinæ sit Naturalis?

Distinguitur.

UT ordo divina res est in natura (sine eo

natura constare non potest: nihil enim absq[ue] ordine vel meditata est vel effecit illa, 8. physisor.) Ita nihil vel in animo vel in opere sapientis admirabilius est ordine. Et maxima subtilitatis pars in libris sapientum est œconomia, ait Scaliger. De ordine igitur Didascalico quæro secundò: An omnis ordo doctrinae fit naturalis? Sunt, qui Syntheticum ordinem tantùm, non etiam Analyticum, naturalem appellant, & quidem rectè: cùm respiciant naturam generantem. Ut enim natura (quæ nihil aliud est quàm Dei ordinaria potestas, rebus in ipsa creatione indita) imò Deus ipse in productione rerum à confusis ad magis distincta, ab informibus ad magis formata expressioraq[ue]: à simplicibus ad ea, quæ ex his extruūtur, ab imperfectis ad perfecta: deniq[ue] paulatim & à minimis ad majora progreditur: Ita Syntheticus ordo procedit à primis elementis disciplinæ & simplicibus ad composta conjunctaque. Sed dici quoq[ue] potest, omnem ordinem Didascalicum esse naturalem, hoc discrimine adhibito: ut Synthesis proximè accedat ad naturam gignentem: Analysis verò aliqua ex parte imitetur naturam res instituentem & de rerum procreatione quasi deliberantem. Hoc est: dispositio præceptorum Synthetica fieri solet simpliciter secundum viam seu ordinem generationis.

tionis naturæ , secundum quem imperfe-
 ctiora sunt priora , ut in creatione seu ortu
 hominis primùm effingitur in fœtu natura
 viventis, tum animalis, ad extremum homi-
 nis (vivit enim fœtus primùm vita naturali
 seu vegetante : deinde sentiente : tertio ra-
 tionali , de sententia Aristotelis) sic in Phy-
 sica prius est elementum quām mistum : mi-
 stum quām animal. Sic Aristoteles s. meta-
 phys. primo loco de distinctione principio-
 rum & caussarum entis : Secundo de distin-
 ctione entis eiusq; partium: Tertio de distin-
 ctione affectionum entis videtur differere ,
 teste Thoma, utcunq; tamen , non perfectè ,
 hunc ordinem servans. Analytica verò τύχης
 sit quadantenus & κατά π, secundum ordi-
 nem scopi & intentionis naturæ , secundum
 quem perfectiora sunt priora (Scopus enim
 naturæ est rei τελείωσις & perfectio) ut homo ,
 quem ut perfectius natura intendit genera-
 re , prior est quām pars ejus , vel animal : Sic ,
 animal prius est quām mistum : mistum pri-
 us est elemento. Sic finis naturæ prior est ,
 mediis ratione naturæ res instituentis , & de
 rerum deliberatione quasi consultantis (verè
 enim & propriè natura non consultat , quia
 ἀλογος est) media verò seu conferentia ad fi-
 nem sunt priora fine , respectu naturæ jam
 generantis. Quod igitur dixi μέτι π, secun-

„ dum quid , quadantenus & aliqua ex parte
 „ Analyticum ordinem imitari ordinem in-
 „ tentionis, scopi & perfectionis naturæ , id sic
 TB. „ accipiendum est : quod in Analytico ordine
 prior debeat esse consideratio de fine à no-
 bis producendo , & ab hoc transeundum sit
 „ ad media , quibus ad finem aspiratur . Neque
 enim ordo Analyticus potest progredi ab ho-
 mīne ad animal ; ab animali ad mixtum cor-
 pus , quia hæc progressio est à speciali ad ge-
 nerale : omnis autem ordinis progressio est
 huic contraria , nempe à generalibus ad spe-
 „ cialia . Utigitur homo species non tollit ani-
 mal , genus , sed ponit : quia homo sine animali
 „ esse non potest : Sic Analyticus ordo , ut spe-
 cies , non tollit , sed magis requirit γενικὸν il-
 lud , quod ordini in universum cōpetit , nem-
 pē procedere ab iis à quibus cetera pendent ;
 „ ut ab universalioribus ad minus universalia ,
 „ Ad extreūm , omnis ordo disciplinæ est na-
 turalis , potius respectu nostræ , scilicet co-
 gnoscientium , naturæ , nempe quibus ab iis
 exordiri convehit , quorum cognitio ad alio-
 rum perfectam solidamq; cognitionem con-
 fert : seu ; omnis ordo est nature scilicet rerum
 potius prout à nobis sunt cognoscēdæ , quam
 prout sunt , Major & minor propositio in syl-
 logismo natura sunt priores conclusione , id
 „ est , natura prius cognoscuntur conclusione ;
 cognitione ;

cognitio enim conclusionis à præmissarum cognitione pendet: non verò hæc ab illa. De natura igitur rerum prout sunt, accipiendum est, quod Zarabella non semper ordinem naturæ servandum esse disputat. Et quidem non eundem semper esse ordinem in rebus, quo sunt, & quo nobis cognoscendè proponuntur, exemplis alibi ostendimus luculentissimis. Ceterùm utrumq; secundùm naturā est, id est, insitum nobis & communia propriis præmittere, quod ordinis est (Arist. li. i. phys, contextu 57.) Et per notiora in cognitionem ignorantium nos deducere, quod methodi est speciatim acceptæ. (Aristo. in proœmio physiologiæ, cont. 2.) Si itaq; objicias: Insita nobis via est ex notioribus magisque manifestis nobis ad ea, quæ natura manifestiora sunt & notiora, teste Aristotele in initio phys. Ergo ordo à natura manifestioribus & notioribus non est nobis insitus, ac naturalis: Negan-
da hic est consecutio. Ut enim non sequitur hoc: Ratiocinari & syllogismum & prosyllo-
gismum facere est homini naturale: Ergo or-
dinare multas enunciationes inter se confu-
sus non est homini naturale: sic nec illud se-
quitur. Tò NATURALE enim utriusque pro-
cessui & actioni statuas est commune, non al-
teri proprium.

PROBLEMA III.

Commode nunc de ordinis elegantia quero tertium:
 Utrum ordo ad confusa, an potius à confu-
 sis progrediatur?

Distinguitur.

HAnc quæstionem peperit nobis locus Aristotelis initio phyl. *ἀνεγάσσεται*. No-
 bis primùm clara & manifesta sunt *οὐδὲν
 κακού μέρη*, id est, confusa magis. Postea
 ex iis principia his, qui ipsa possunt divide-
 re, innescunt. Qui tamen locus accipi-
 „endus est non de ordine, sed de via doctrinæ
 „seu methodo analytica. Docet enim ex effe-
 ctis causas esse concludendas, antequam ex
 causis effecta demonstrentur. Non enim af-
 sentior Carpentaria, qui de ordine intelli-
 git, & confusa interpretatur Genera. Repu-
 gnat enim non tantum alterum sententia
 Aristotelis membrum: *postea si hæc dividamus
 elementa & principia ex ipsis innescunt*: Sed &
 præcedentia verba: *Ex nobis manifestis ad natu-
 ra manifestiora*. Ac omnino Aristoteles ita ar-
 guit: Ratio demonstrandi ex nobis notio-
 ribus, id est, iis quæ ad sensum proprius ac-
 cedunt, ad simpliciter notiora, id est, ea quæ
 à sensu longius absunt, proficisci debet. Con-
 fusa, id est, effecta notiora nobis sunt ele-
 mentis & principiis suis. Ergo ex confusis,
 id est, effectis ad elementa & principia ratio
 demon-

demonstrandi proficiisci debet. Cum enim,
 elementa & principia referantur ad confusa,
 & confusa ad elementa ac principia, id est,
 hæc & illa habeant se ut relatum & correla-
 tum, per confusa aliud nihil, quam principia-
 ta intelligi possunt. Hoc manifestius appare-
 bit totius proœmii paraphrasin animo com-
 plectenti, quam tradidit interpres analyticus.

Paraphrasia
brevis 1. cap.
1.phys.

Cum in quavis disciplina, quæ quidem prin-
 cipia habet, scientia è principiorum cogni-
 tione pendeat (siquidem scire est rem per
 causam cognoscere) & tunc deum verè rem
 quamlibet cognoscamus, cum præter pro-
 ximam causam, etiam remotas & supremas
 cognoscimus: perspicuum est, ut rerum sci-
 entiam assequamur, sicut in omni, sic in na-
 turali quoq; scientia, principia prius cogno-
 scenda, & de illis primò omnium differen-
 dum esse. Verum enim verò cum rerum ea,
 ratio sit, ut principia & simplicia sicut natu-
 ra notiora, sic in nobis sint ignotiora, effecta,
 autem & composita sive confusa contrà no-
 b: notiora, simpliciter autem ignotiora: do-
 cendiq; & demonstrandi ratio, natura nobis
 insita, postulet, ut à notioribus nobis inci-
 piamus, ex eorumq; cognitione in cognitio-
 nem illorum deveniamus, quæ natura sunt
 notiora: necessitas postulat, ut, antequam
 in hac scientia ex causis effecta demonstre-

mus,

mus, ex effectis sive confusis & subjectis
causas & principia, per media accidentia, si-
gni demonstratione, concludamus: Sicut
autem à confusis & totis incipiendum, in-
deque ad elementa & partes, e quibus con-
stant, est transeundum: eò quod confusa
partibus suis nobis sunt notiora: sic etiam
in ordine doctrinæ ab universalibus & gene-
ribus ad singularia & species semper est pro-
cedendum. Cùm enim à confusis ad elemen-
ta, universèq; à totis ad partes, ob illam, quæ
dicta est, causam transeundum sit: universalis
leque seu genus totum quoddam sit: & qui-
dem partibus suis notius: sicut totum ^{ā dñ-}
^{rōv} partibus suis notius est: efficitur hinc: in
ordine quoque doctrinæ illa semper præmit-
tenda esse, quæ communiora sunt, magisq;
generalia: Totum autem notius suis partibus
esse non solum nomina & definitiones, sed
pueri quoque & infantes ostendunt. Sicut e-
nim nomina rerum, veluti circulus, animal,
definitionibus earundem rerum nobis no-
tiora sunt: eò quod totum quippiam con-
fusè significant, quod definitiones distin-
ctè & per partes declarant: ita pueri viros &
fœminas, utpote qui totius cuiusdam ratio-
nem habent, citius norunt, quam patres &
matres: qui non totius, sed partis habent ra-
tionem. Sed tempus est, ut aggrediamur ad
expli-

explicationem quæstionis propositæ. Con-NB.
fusa à philosophis modò accipiuntur pro ge-,,
neribus, modò pro compositis seu effectis. ,,
A confusis igitur proficiscitur non ordo, sed ,,
via seu methodus doctrinæ accuratae, si con-,
fusa accipias pro speciebus compositis, seu ,,
pro totis, quæ in partes dividua sunt, seu pro
effectis, quæ composita sunt è causis, ut (ex-
empli causa) pro ipsis corporibus naturali-
bus, quæ ex diversarum partium confusione
seu conjunctione constant. Hæc confusa seu
universalia sensui propinquæ nobis secun-
dùm sensum, seu imbecillitati nostræ notio-
ra sunt principiis & elementis suis, ex quibus
constant, ideoque ex compositorum cogni-
tione ad principiorum cognitionem nobis
deveniendum est, idq; per media accidentia
essentialia: ut è naturali corpore jam consti-
tuto, quod materia & forma nobis notius est
in horum cognitionem pervenitur, per ortu-
& interitum, corporis naturalis acci-
dentia, sic: Quicquid ortui & interitui est
obnoxium, est materiatum. Corpus naturale
est obnoxium interitui & ortui. Ergo corpus
naturale est materiatum. 2. A confusis verò ad ,,
distincta proficiscitur ordo, si per confusa ac-,,
cipias universalia ~~vñtrū~~ per sc̄ & menti nostræ ,,
notiora clarioraque, hoc est, genera, quæ e-
tiolationem accipiunt à formis seu specie-
bus

bus, in quas dividuntur: cōmuniora ac generaliora, quæ multa cōtinent: subjecta, in quibus versantur totæ scientiæ, quæ subjecta dicuntur subjecta genera, quia habent species. Tale subjectum primæ philosophiæ est ens, cuius certæ sunt species, seu potius modi: ut substantia & accidens. Tale etiam est in Physica, ut antè attigi, corpus naturale latissimè sumptum, subjectum nimirū totius physiologiæ, cum partium hujus scientiæ subjecta sint corpus animatum, corpus cœleste, quæ species sunt corporis naturalis. Huc pertinet quod Jurisconsultus ait: prius est, ut de universitate disputetur, quam de rebus singulib[us]. VVesenbecius in 2. lib. Instit. pag. 64⁶.

PROBLEMA IIII.

UT in absentia luminis fit umbra, & allato lumine umbra deficit, quæ hypotheses Opticæ sunt Vitellonis: sic si præceptis desit ordo, obscuriora sint necesse est; si ordinis luce donata sunt, tenebræ, modò cetera rectè habeant, dissipantur. De ordine igitur quæro quartò:

*An necessariò incipiat doctrina à principiis essendi,
seu rei effectæ aut effectionis?*

Negatur.

Utr certi sunt disciplinarum fines, quos ultra citraq[ue] nequit consistere rectum: Sic & præce-

præceptionum certus, non fortuitus est or-
 do. Is an necessariò postulet initium à princi-
 piis essentialibus, quæritur. Id verò meritò
 negatur. Nam hypotheses Arithmeticæ &
 Geometriæ Eccentrici, Epicycli &c. poli, a-
 xis, à quibus incipit Astronomus, non sunt in
 Astronomia principia essendi, sed tantùm
 cognitionis seu apprehensionis nostræ. Re-
 pugnant enim naturæ & perfectioni cor-
 porum cœlestium. Non enim tales hypo-
 theses ac principia sunt Entia realia. Sed non
 pugnant cum natura humana, quæ cùm sit
 imbecillior & hebetior, quàm ut cœlestes
 motus simpliciter possit apprehendere, ic-
 circo istis veluti alis in cœlum subvolare au-
 det, istis adminiculis quasi fulcris se susten-
 tat; ita Entia, rationis quæ hujus sunt figmen-
 ta, sunt scientiæ astrorum principia. Non au-
 tem possum videri pedem in alieno choro
 ponere, si hîc explicem tria principiorum
 genera. Principium essendi est primum un-
 de aliquid est, ut materia & forma cœli: Hæc
 etiam sunt principia operandi: Unde enim
 habet res ut sit, inde quoque habet ut opere-
 tur. Principium effectio[n]is est primum unde
 aliquid fit, ut privatio formæ hominis, sicut
 Aristoteles principium etiā accipit, quod pri-
 vationis occasione res fiant seu fieri incipiāt.
 Principia cognitionis sunt unde primūm ali-
 quid

Privatio est
 principium
 effectio[n]is
 rei, non rel
 effectus.

quid cognoscitur: sic in Physica motus & operationes rerum naturalium supponuntur ut Principia: Motus quidem, quia per illum cognita est materia: operationes, quia per eas cognitæ sunt formæ; atq; adeò per utræque res naturales. Hæ autem suppositiones non ad ordinem scientiæ, sed ad investigationem vel demonstrationem (quæ à posteriori dicuntur) principiorum essendi pertinent. Quod enim attinet ad ordinem *διδαστηγαλιας* Physicæ, principia essendi & effectiōnis sunt ibi cognoscendi, (cognita enim sunt) principia accuratè & à priori philosophantibus.

Object. Objecis: si principia cognitionis sunt (unde res cognoscuntur) & multa cognoscuntur à posteriori (ut modò ostensum est:) multa principia, quatenus principia sunt, erūt posteriora iis quorum sunt principia, quod est absurdum.

Solutio. Respondeo, connexum hoc nullū esse, ideoque conclusionem esse *απομπέαστον*. Etsi enim sint principia cognitionis, seu rei cognitæ, ut cognitæ, quibus multa à posteriori cognoscimus: Non tamē inde conficitur, ultimum ejusmodi principiū, quatenus tale principium est, posterius esse eo, cuius principium est. Semper enim prius est cognitione aliqua, sive sensitiva, sive intellectiva, sive imperfecta, sive perfecta. Vide Fonsecam in Metaph. Aristotelis libr. 5. cap. i. quæst. 3. Adeò co-

de cognitionis principio accipe istud aureum
 Aristotelis: Principium magnū momentum
 assert ad ea quæ sequuntur, eoq; posito facile
 coaptantur reliqua. Illudq; de proposita que-
 stione tene. In disciplinis non tam spectandū
 ut incipiatur ex iis, quæ suapte natura sunt
 ferum, de quibus agitur, principia, quām un-
 de illæ optimè percipientur. Cuiusmodi in il-
 la aquaq; disciplina ferē sunt ea, quæ maximè
 clara sunt, & ad cetera percipienda præcipue
 sunt utilia, ὅτεν γνωσὸν τὸ ἀρχῆμα πρῶτον, καὶ αὐτὴν
 ἡγέτην τὸν λόγον. Εἰς τὸν λόγον μαρτυρεῖται τὸν λόγον τὸν πρῶτον, id est: Unde res primū cognosci po-
 test, id quoq; principiū rei dicitur: Velut dé-
 monstrationū suppositiones, hoc est, ut pro-
 nunciata, quæ in demonstrationibus confici-
 endis ponuntur esse vera, nec per alia demo-
 strantur, principia demonstrationis dicūtur.

^{2. Elench.}
^{cap. ult.}
^{Ordo est à}
^{principiis,}
^{non tam exi-}
^{stentia re-}
^{rum, quam}
^{nostræ co-}
^{gnitionis re-}
^{rum.}

Aristoteles
 lib. 1. cap. 56
 Metaph.,

P R O B L E M A V.

An ordo scientie sit à primis causis?

Distinguuntur.

ORdinem scientificæ doctrinæ proficiendi
 à primis causis, Aristoteleum & verum
 dogma est: Sed rectè intelligatur. Tὸ πρῶ-
 τον enim homonymū est. Ordo scientiæ est à
 primis causis, & non est. Est à primis, hoc est, **vñ.**
 remotissimis, supremis, communissimis, quæ
 in scientia aliqua sunt: quales sunt in physica
 materia & forma. Nō est à primis, id est, pro-

pinquis vel simpliciter proximis : sicut Aris-
toteles in poster. analyt. accipit πρῶτον αὐτόν
quod quidem positum ponit effectum , ab-
latum verò aufert : ut Sole posito ponitur di-
es: Sole ablato, aufertur dies. Neq; verò qui-
quam obstat huic assertioni, quod causæ su-
premæ & communissimæ sàpè nobis impe-
ritioribus & in statu ignorantiae constitutis
sunt incognitæ. Nihilominus enim ab iis in-
cipiendum est quatenus naturaliter, id est, ex
sua natura possunt cognosci , & nobis bene
affectionis notæ sunt actu. Siquidem axioma & pro-

78

» nunciatum universale: Totum est majus qua-
 » libet sua parte: est notum menti & sensui, est
 » notum tum absolutè naturâque, tum etiam
 mihi. Cur verò ab ejusmodi primis, quæ ma-
 xime communia sunt, cujusmodi materia &
 forma in physicis sunt, incipiendum? Quia
 ex talium primorum cognitione aliorum co-
 gnitio pendet.

PROBLEMA VI.

Multa & multum de Methodo quære-
 re ac disputatione, puto esse precium operæ,
 cùm Methodus sit certa tradendarum
 rerum ratio, qua celerrimè ad peritiam de-
 venitur, sicut veteres non malè definierunt.
 Quemadmodum enim qui viā certissimam
 in primisq; compendiariam sequitur, facilius
 aspi-

aspirat quod vult, quamvis qui per aquas, mon-
tes, saltus, præcipitia magno difficultate; labore
contendit: sic eruditionem citius cōsequetur
qui methodicè docetur, vel per seipse Me-
thodum tenet, quamvis qui magno labore ci-
tra ordinis rationem in disciplinis versatur.
Quero igitur:

*Utrum in ordine scientiarum procedatur à partibus
ad totum, an verò à toto ad partes?*

Distinguuntur

Huic questioni occasionem dedit Jac.
Carpentarius Claromontanus in disput. de
methodo contra P. Ramum. Meum est in
medium afferre quod sentio, idq; ἀνεστωπο-
ληπτως. Et ordo & via doctrinæ propriè dicta
est ex toto ad partes. Via doctrinæ, ut proba-
tio principiorum, est à toto, quod sub sensum
cadit, ad partes, id est, à composito ad ele-
menta, ut ex consideratione corporis natu-
ralis (quod ὁλοναιδηλόν, id est, totū sensile est)
probo id constare ex materia. Totum enim
notius est sensui quam partes: quod
inde patet: Qui eminus aliquē conspicatur,
animal eum esse facilius novit, quam homi-
nem, rursum hominem facilius quam Socrati-
tem: totumq; Socratē facilis & prius quam
aliquam illius partem. Ordo est à toto notio-
nis, seu à toto, quod sub intelligentiam cadit,
ad partes subjectas, id est, à genere, quod ῥη-

Sóla dicitur, ad species, à communiori ad auctius. Totum enim *νόητὸν* est mentis otius
 quām partes illius. *Ordo* eriam esse potest
 „ partibus ad totū, si partes intelligantur causæ
 „ essentiales, totum verò effectum. Sæpè enim
 progredimur à causis *σοίς*, ut simplicibus, ad
 effectum, ut compositum: *Στὸ τὸν ἀπλῶν, τὸς*
 „ συγκείμενα. Inquit imperitior aliquis: A toto
 ad partes procedere esse procedere à genere
 „ ad speciem, non intelligo. Respondeo id in-
 tellectu esse facile. Aristoteles & Porphyrius
 genus dictint esse totū, & species partes. Vide
 Metaph. proœmium physic. & i. post. anal. ca.
 3. Genus enim, quia multas species, velut par-
 tes, sub se complectitur, totum quoddam est.
 Et species quia continetur à genere, velut to-
 to, pars quædam est. Sed illud interim non est
 integrum, & hæc non est membrum. Disin-
 gue inter totum genericum & essentiale. Ge-
 nus est totum universale. Integrum est totum
 essentiale. Sic species est pars subiecta: mem-
 brum est pars integrans (id est, secundum
 quantitatem accepta,) seu essentialis.

PROBLEMA. VII.

Magnum decus est ordinis, magna vis:
 Sicut enim lumen in obscurum locum
 illatum discutit tenebras: Ita ordinis
 justa observatio difficultatem res docendi &
 discendi

descendi tollit, cùm rectus ordo initia, progressus & metas doctrinarum commonstret. Querere igitur pergo:

*An ratio ordinandi repetenda sit ex nobiliori, ut
hoc præcedat, & ignobilis sequatur?*

Negatur.

Πολυθρύλλιτον est istud: Autor incipit hīc à digniori, à nobiliori. A visu incipit Physicus, quia omnium sensuum nobilissimus. Sed tenendum: hoc ordini esse accidentale, non essentialie. In ordine enim queritur præstantia notitiae & claritatis, non τεχνη τῆς τιμῆς seu præstantia dignitatis. Sanè si ordo à nobilio- ri necessariò tenendus, Physicus prius do- cebit de homine quàm de plātis, de animo ra- tionali, quàm de vi vegetante. Arctè igitur hoc tenendum: ordinem servandum à notio- ribus seu principiis perfectæ nostræ cogni- tionis, sintne hæc nobiliora an ignobiliora, non admodum attenditur. Doctrina μητρα, id est, hominis nobilior est & angustior, quàm meteororum: & tamen in physicis illa hac posterior est. In logiçis quid nobilius do- ctrinā ordinis & methodi? Hic in primis o- stentat se acumen humani ingenii: Est tamen posterior doctrinā enunciatorum. Si objicis obiec- mihi Aristotelem de partibus animalium cap. 10. Ab HOMINE auspicandum: Quia maximè omnium est particeps divinitatis: &

C 3 quia

Solutio.

quia externarum ejus partium forma est notissima. Respondeo: me priorē rationem pro nulla seu supervacanea habere, ideoque non admittere. Ceteroquin in Arithmeticā regula trium proportion. quae verē aurea est, propter nobilitatem primum locū tenebit: At hunc illi nullus Arithmeticorum unquam tribuit aut tribuet. Alteram causam admīto: partes hominis exteriores sunt notiores, quam bestiarum. Ergo prius censeo differendum de illius, quam de harum partibus. At interdum, inquis, nobilius præcedit, ut in Theologia doctrina Dei doctrinam mentiū seu intelligentiarum (id est, creatorum spirituum.) Respondeo. Non nego equidem: sed addo id fieri per accidens, & propter aliud, nempe quia Deo cognito melius illarum cognitionem adipiscimur. Ex his intelligitur non esse habendum pro edictō prætorio, quod dicitur à jurecons. A dignioribus est inchoandum. Tantum ab iis dignioribus necessariò & utiliter inchoatur, ex quorum nōtitia aliorum cognitio pender, seu ex quibus reliqua facilius meliusvè cognoscimus. Talis enim cognitio ordinis scopus est. Cūm nullus ordo cognitionis melioris vel facilitioris servari potest, nempe cūm duo æquè ignota sunt, & neutrius cognitio confert ad cognitionem alterius, (id quod rariūs evenit, & qui-

Solutio.

In iis que
sunt aequalia

quidem in aliqua disciplinæ particula) tum & eiusdem
licet ordiri à digniori. Atq; hic ordo dicitur gradus po-
arbitrarius. Dico diserté : licet. Quia ubi nul- test dignius
lus cognitionis nostræ distinctæ ordo servari p̄poni.
Poteſt, etiam ordinem naturæ rerum, quate-
nus talis, ſequi & ſervare liberum eſt. Unde
intelligitur inter aliqua poſſe eſſe ordinem
arbitrarium.

P R O B L E M A VIII.

An definitio aliquando poſſit eſſe poſtrema?

Distinguitur.

ARISTOTELES I. Ethic. cap. 3. primò tradit felicitatis quasdam præcipuas proprie- tates, ut quòd unaſit & ſumma, quod perfectissima, quod ſibi ipſi ſufficiens. Et enim hæc eſt via investigating definitiones ut prius rei proprietates inquirantur. Secunda vero capitinis parte explicat propriam felicitatis definitionem, nempe quod ſit in actione hominis praefantissima, quæ ab optima illius virtute proficiſcit. Minimè igitur ignorandum eſt in partis alicuius tractatione & diſputatione definitionem, à qua aliâs diſerta- tio, quæ de aliqua re instituitur, proficiſci debet, ultimas tenere poſſe. Sic Aristoteles cap. 4. libr. 4. phys. diſputans de loco, ante defini- tionem loci aliquot hypotheses proponit, quia ex illis ut proprietatibus & eſſentialibus

accidentibus naturam loci venatur & investigat. Illæ hypotheses sunt, locus locatum continet, ita, ut nihil sit locati: Locus primus est æqualis locato: locus à re contenta separabilis est: omnis locus præditus est differentiis supero & infero, &c. Unūquodq; corpus ad suum locum sua natura fertur, & si in loco suo sit ibi quiescet. His positis locū definit Philosophus, & naturam ejus declarat. Sic in libro de anima naturam animæ è posterioribus indagat, quod judicet accidentia quæ rei per se competunt effectaque plurimum conferre ad rā nō b̄t, id est, naturam rei investigandam (quanquam cùm nominis significatio sit multiplex & anceps eam ut omnis inquisitionis principium præmittere solet, & interdum etiam proprietates rei definitioni sub jungit: ut in physicis definitioni temporis & probationi ac explanationi eius subjicit nonnulla adjuncta & differentias, quæ temporis naturam magis magisq; declarant, 4. lib. cap. 12.) Hæc igitur ratio procedendi tūm locum habet, cùm definitio est particulatim indaganda, colligenda, invenienda. Zabarella indagaturus & inventurus essentiam mentis agentis prius de officiis ejus, quorum consideratio facilius ad definitionem deducit, difficit, postea quid sit, docet. Sic diffusè primū tractat causas accretionis & nutritionis, po-

stea eas colligit: tandem ex omnibus istis causis accretionis & nutritionis perfectas omnibusq; partibus absolutas definitiones constituit, & his ipsis totam tractationem concludit. Sed in disciplinarum cōpendiosa descriptione, ubi quæ collocanda sunt antè debent esse explorata judicataque, à definitione tractationes incipiendæ sunt ita, ut si generalissima sit definitio, statuenda sit primo loco: si subalterna, medio loco: si specialissima, infinita. Hinc ad distributiones & membra harum disponenda veniendum, & disposita ubi opus est, probanda, quæ probatio methodo, voce p̄cessius accepta, ascribi solet. Cum hac sententia congruit optimè hæc P. Martyris in i. libro Eth. Aristotelis: Dum demonstracionibus ad rem, quæ latet inveniendam, utimur, effecta priorem notitiæ locum sibi vendicant, quia propemodum semper evidētius patēt, (ut sensui magis vicina) At cùm voluerimus quæ aperta sunt docere, librosq; methodo ac ratione (ordinem intelligit) conscribere, semper communiora & quæ latius pateant omnibus aliis anteponimus.

P R O B L E M A . IX.

An transfire à principiis primis ad secunda: ab his ad tertia, donec ad ultima cuiusq; speciei propria perueniatur, esse possit ordo à genere ad speciem,

Affirmo.

C S Sub.

78

„ Subtilis simul & utilis hęc est quæstio: An
 „ malis proximum principium sunt partes
 „ organicæ: Remotum elementa: Remotis
 „ simū materia prima. Dico: quid in physicis
 primū agere de prima materia, idq; in tra-
 ctatione de corpore naturali amplissimè ac-
 cepto: Deinde de elementis in tractatione
 de corpore misto: Tertiò de principiis vi-
 ventium: Quartò de partibus instrumenta-
 libus animantium in *isœiæ* animantium, de
 partibus organicis hominis in *isœiæ* homi-
 nis: Dico inquam, hoc esse procedere à gene-
 re ad species. Nam ut recte judicat Zabarella,
 in scientia contemplante agere de aliquar
 est agere de ejus principiis, & agere de prin-
 cipiis & affectionibus rei est de re illa agere
 cuius sunt principia & affectiones. Jam Phy-
 sica est scientia contemplans: In Physica igi-
 tur agere de corporibus physicis est agere de
 principiis & affectionibus corporum physi-
 corum, & vicissim agere de principiis & affe-
 ctionibus corporum physicorum, est de ipsis
 corporibus physicis agere: hoc est, primam
 materiam considerare est versari in corpore
 naturali, à quo mixta, animalia & cetera, tan-
 quam species à genere, continentur: consi-
 derare elementa est tractare de corpore mi-
 sto, cuius principia sunt: considerare proxi-
 ma animalis principia est animal, quatenus
 est

Prop.

Assumpt.

Concl.

est animal, considerare. Ex his liquet, hanc ipsam progressionem respectu & consideratione subjecti esse à genere ad species, id est, à corpore physico ad mistum, à misto ad vivens, à vivente ad animal, ab animali ad hominem. Intelligitur hinc quoque partes tractare esse nihil aliud quam totum tractare (siquidem partes integrantes conjunctæ nō distinguuntur re à toto, sed sunt idem cum illo) ut de partibus enunciati agere est de ipso enunciato agere, nec alia esse posse tractationem enunciati, quam tractationem partium, ex quibus componitur. Docere de elocutione vel pronunciatione (quæ partes Rhetoricae sunt) est docere de ipsa Rhetorica. In architectonica finis est Domus: hujus partes, fundamentum, parietes seu corpus intermedium, & tectum: hic tractatio recti vel parietum est tractatio ipsius totius, nempe domus. Tractatio igitur partium, prout partes sunt, (id est, non absolutè considerata, sed relatarum ad totum) omnino est referenda ad tractationem totius, non ab ea sejungenda. At enim dices: Enunciationis doctrina separata est à doctrina syllogismi: illa enim hanc præcedit: Enunciatio autem pars syllogismi est: Ergo quædam pars tractatione separata est à toto suo. Propositio adeò vera est, ut etiam in eodem libro ptacepta enunciati & syllogismi

gismi non doceantur; Assumptio etiam manifesta est, cum syllogismus tribus constet enunciatis. Sed respondeo ad assumt. Enunciatio pars syllogismi est, non quā enunciatio, sed quā propositio, vel assumptio, vel complexio est, id est, enunciationis consideratio absoluta est sine relatione ad syllogismum: propositio verò, assumptio & complexio eam naturam habent, ut referantur ad syllogismum. Tractatio igitur de enunciatio non est commissa tractationi de syllogismo, sed eam antecedit. Tractatio verò de præmissis & conclusione est ipsamet tractatio de syllogismis. Potest & sic responderi: Quod dictum est, partium tractationem nihil aliud esse quam tractationem totius, intelligendum est de propinquis partibus: conclusio nem igitur: Ergo quædam pars tractatione separata est à toto, concedo de parte remotione. Nec perturbare te debet, quod dixi: Considerare elementa esse tractare de corpore mixto: Id enim non intelligo de tota elementorum doctrina, sed parte, ut: qualis mutatio sit, & quomodo fiat alteratio elementorum in mixtis: Quomodo elementa sint in mixto, Nam elementa etiam admittunt, imò requirunt tractationem absolutam seu simplicem, sine respectu ad mista, quorum sunt principia, id est, propter ipsa elementa instiz.

institutam, nempe quâ sunt corpora natura-
lia, gravia vel levia. Hæc minimè sunt ἀλογα
& Sophistica: De uno enim & eodem diver-
sis locis tractari posse & solere ab optimis,
hoc est, optimè ratione utentibus ordinis
attificibus, propter rationem & modum
considerandi diversum & χέσιν ac relatio-
nem ad alia atque alia, evidentius est, quâm ut
οὐδέτερη nostra indigeat. In lib. de Interpre-
tatione Aristoteles agit de Enunciato, ut si-
gnificat verum aut falsum, seu quatenus e-
hunciat rem uti est, vel aliter quâm est. In do-
ctrina verò syllogistica lib. prior. de Enun-
ciatione tractat, ut componit syllogismum,
ut pars propinqua est syllogismi: seu quate-
nus sit & est propositio, hoc est syllogismi
sententia affirmans vel negans de aliquo, non habita ratione veritatis aut falsitatis. Syl-
logismum enim, si ad figuram & modum ali-
quem congruat, bonum esse formaliter, et-
iamsi præmissæ & conclusio sint falsæ, Aristo-
teles statuit.

In doctrinā
syllogismo-
rum Enun-
ciatio acci-
pit nomen
propositio-
nis.

P R O B L E M A X.

Sitne Ordo à substantia ad accidentia, an verò ab
accidentibus ad substantiam?

D Eclarāda est prius rei natura & essentia, prius affirmatur.
Accidentia sunt naturæ
quam ejusdem ~~naturæ~~ seu affectiones. In posteriora
libr. subjecto, nec

possimus
eorum de-
monstratio-
ne aggredi,
nisi subiecto
jam cognito.
Ergo ordo
est à substan-
tia ad acci-
dencia.

Obiect.

Solutio.

libr. de cœlo Aristoteles primūm eius natu-
ram & essentiam: deinde verò varia acciden-
tia, quæ eam insequuntur, cōtemplatur. Ra-
tio huius *diatráξιος* seu antecessionis & con-
secutionis manifesta est. Si enim *τοίχη* rei i-
gnorata, ab accidentibus, quæ ab ea ema-
nant, inciperemus, nunquam eorum cogni-
tionem consequeremur, quia causas interio-
res ignoraremus. In Physicis igitur de natura
prius differit, quam de accidente, motu
Sanè essentia cum ab alia causa non pendeat
seu non habeat extra se causam suæ existen-
tiæ, id est, non inhæreat in alio, ut accidens
per se nota est secundum naturam: Accidens
verò quia inhæret in subiecto, & habet extra
se causam suæ *ὑπόθεσιος* seu existentiæ, hoc
est, quia à causa externa pendet, secundum
rerum naturam non est per se notum. At in-
quis: Ipsa essentia rei sæpè est ignota. Respó-
deo. Concedo equidem: sed ita, ut addam id
non fieri secundum ipsam rei naturam, sed
propter nostram infirmitatem. Ipsa quidē rei
natura per se *γνωστή* est (cognoscibilis inquit
Zabarella) quia etiam per se est. Accidens
verò non est ita *γνωστόν*, sed per aliud, quia et-
iam est per aliud. In subiecto enim recipiente
seu *δεκτικός* inest, & à causa efficiente produci-
tur. Nec obstat dictis, quod in physicis com-
munium animantis affectionū tractatio pre-
cedit

cedit tractationem hominis. Non enim præcedit illa (communium animantium affectiōnum tractatio) explicationem quiditatis amantis, ut subjecti, ad cuius doctrinam integrām tractatio communium accidentium comparata est.

P R O B L E M A XI.

DOctrina sine ordine eruditis non admodum dissimilis esse videtur corpori mentis vacuo. Sicut enim corpus inutiliter pondus est, nisi mente regatur: Sic doctrina nulla est, rūdis moles est, citra ordinis beneficium. Quærere igitur pergo:

Utrum à notioribus confusa cognitione ad notiore distincta cognitione in disciplinis figurandis sit procedendum, an contra?

Prius negatur.

Ex multis eorum quæ hactenus disputata sunt, facile est colligere, in disciplinis tractandis esse servandum ordinem cognitionis nostræ distinctæ. Proponenda scilicet est discipulo ingenuo, ut ejus animus perficiatur, rerum notitia distincta, non confusa. Sed ob. object. stare videtur istud: *Ars dicitur imitari naturam.* Ordo autem noster discendi naturalis est ejusmodi, ut prius cognoscamus confusè, seu ut inde usque à pueritia per cognitionem sensus rerum confusam & velut superficiariam

Solutio.

riam noticiam acquiramus. Ergo ordo capel-
fendæ scientiæ rerum etiam talis esse debet
ut prius confusè quid cognoscamus, postea
verò distinctè. Respondeo ad majorem. Ars
dicitur imitari naturam quoad genus, seu in
communi, non in particulari seu proprio, id
est, ordo artificiosus debet esse cum naturali
addiscendi ordine idem genere, non specie.
Ut pueruli antequam doctrina nobis propo-
natur naturaliter prius cognoscimus univer-
salia, postea verò minus universalia, (primùm
enim omnem vitum vocamus patrem, omnē
fœminam matrem) : sic in scientiis & artibus
perspiciendis ac cognoscendis jam doctri-
næ capaces progredi ab universalibus debe-
mus ad particularia, seu à magis universali-
bus ad minus universalia. Et hactenus ars &
scientia æmulatur naturam. Dissimilitudo
autē est in specie & modo cognitionis. Pue-
ruli naturaliter prius cognoscimus universa-
lia confusè velut in transcursu & ruditer: sed
jam docendi à præceptoribus cognoscimus
universalia distinctè. Ordo enim noster dif-
fendi naturalior imperfectior est: perfici-
endus igitur. Ars ergo & scientia ordine ar-
tificioso & scientifico & generalibus præce-
ptis debent perficere naturam. Ut igitur
puerulorum cognitione magis sensitiva (sensi-
ta) est: cognoscunt enim sensu rem esse, non
quid

quid sit & quare sit: sic Scholasticorum qui præcepta legitimè conformata discunt, cognitio magis sit *διανοητική* necessæ est. Cognoscunt enim rationis adminiculo quid sit res & quare sit. Nam γνῶσις διανοητικὴ non τὸ οὖν τά-
tum, & τὸ εἶδος, sed etiam, τὸ διέρι καὶ τὸ πόσια ap-
prehendit, ut *εἰδητική* (que & *οἰνεία*, id est, pro-
pria ab Aristotele dicitur) τὸ οὖτι tantum καὶ τὸ εἶ-
δος sequitur. Quare sic omnino inferendum
est: Cum ars & scientia debeat esse naturæ i-
mitatrix, ut pueruli, antequam doctrina in
scholis nobis proponatur, magis universalia
primo cognoscimus confusè: Ita jam doctri-
næ capaces & docendi, prius cognoscere de-
bemus magis universalia exquisitè & distin-
ctè. In argumento cōfusæ cognitionis sic ali-
quis instet: Quod confusum est, id confusè
cognoscatur necesse est. Genus est confusum: Obiect.
Ergo non nisi confusè cognoscitur. Respon-
deo ad propos. Quod confusum est, confusè
cognoscitur, scilicet nisi & definiatur & spe-
cierum ejus saltem rudis habeatur cognitio.
Ad assumt. Genus est quidem per se confu-
sum, sed non manet confusum cum à *προγνω-*
ρή seu doctore definitur, & per species ali-
quo modo declaratur.

Obiect.

Solutio.

P R O B L E M A. XII.

An una & eadem disciplina possit ita informari, ut
D partim

partim à fine effiendo ad principia seu ea quæ ad finem spectant, partim à primis principiis ad secundum ab his ad proxima progressionem habeat?

Affirmatur.

ACUTISSIMUS ZABARELLA de natura logicæ lib. 2. cap. 7. pulcrè ostendit, ordinem logicæ seu organi Aristotelei esse partim compositivum, partim resolutivum: compositivum quidem seu σύνθετικὸν ob fabricationem logicorum instrumentorum. Est enim logica disciplina τομή, id est, operatrix: Analyticum verò seu resolutivū ratione finis nobis efficiendi. Et quidem progressionem à Nomine & verbo ad enunciationem, ab hac ad syllogismum, ordinem esse syntheticum, progressionem verò à definitione finis logicæ & eius resolutione in sua principia effete ordinem analyticum. Hoc judicium, quod ei cum multis doctis recentioribus & veteribus commune est, approbo. Hæc enim est natura logicæ, ut docendo instrumentorum (nempe secundarum notionum in primis conceptibus) fabricationē, simul ipsa instrumenta fabricet ac producat. Itaq; doctrina logicæ ab operatione ejus non est separata. Sed propositum propter tyrones uberiorū explicō. Aristoteles cùm finem statueret logicæ esse inquisitionem veritatis per syllogismum seu ratiocationem, in lib. de inter-

pret.

pretatione initium sumvit à simplicibus notionibus seu minimis ratiocinationum partibus & elementis: deinde conjunxit notiones, & ex iis enunciationes tanquam majora ratiocinationis membra exstruit. Tertiò in analyticis prioribus ultra progressus docet, quomodo enunciata, quæ argumentationes ingrediuntur ac componunt, affecta esse debant, & differit de ratiocinatione tum universè tum singulatim. Nam quia vidit tria esse ratiocinationis genera: Unum, quo necessariò aliquid probatur: Alterum, quo probabiliter aliquid concluditur: Tertium, quo fraudulenter Sophistæ utuntur ad obruendam veritatem: De his tribus generibus copiosè docuit in posterioribus analyticis, Topicis & libris Elenchorum. Hic ordò est syntheticus, naturalis, intellectu facilis. Ejus doctores habemus vel ipsos pueros. Videlicet enim hos, simul atque fari per ætatem possunt, primum res singulas suo quanquæ nomine appellare, ut sunt pater, mater, cibus, potus. Deinde cum paululum ætate sunt progressi, construere res singulas seu voces rerum singularum, & eas in enunciationes ac sententias cogere, ut pater est bonus, panis est meus. Cum vero adhuc longius processerunt ætate, incipere argumenta nocte, Enthymemata facere: Da panem, quia bonus

nus pater es. Non amo te quia verberas me:
Verberas me. Ergo non es bonus pater. Por-
rò ubi adhuc major ætas & maturius judiciū
accederit, natura duce alios certius vera cō-
cludere cernim⁹, alios probabiliora animad-
vertere & falso collecta dijudicare, ac à veris
discernere, quæ profecto omnia sunt artifi-
cialis logicæ semina. Habemus ergo γένεσιν seu
compositivum ordiniem in organo Aristoteli-
lico. Nunc monstrabo etiam in eodem ἀρι-
θετολογίᾳ seu ordinem resolutivam. Aristoteles in
priorib. anal. docturus artem syllogisticam,
resolvit syllogismos in principia unde sunt
exstructi, quorum alia sunt materialia, ut sunt
propositiones & termini: alia sunt formalia,
ut figuræ & modi: id est, finem in his libris
proposuit sibi syllogismum, quem primùm
in propositiones partes proximas: deinde in
terminos tanquam prima elementa retexuit.
Ac quia hæc resolutio materiam tantum at-
tingit, addidit postea resolutionem forma-
lem, quomodo nimirum omnes syllogismi
ad 3. figuræ revocari debeant: postremo ca-
nones & præcepta multa colligit, quibus vi-
tiosas ratiocinationes docet cognoscendas,
& quid observandum sit in quavis argumen-
tatione commonstrat. In posterio. verò anal-
yticus explicaturus doctrinam demonstrandi, pri-
mū proponit sibi hujus finem, nimirum
demonstrandi.

demonstrationem: postea ordine adjungit omnia, quæ ad eum pertinent hoc est, ipsam demonstrationem primùm retexit & resolut in propositiones & principia, & propositiones & principia distinguit: ex distinctione propositionum nascebatur demonstrationis quædam partitio, unde via medium demonstrationis inquirendi sese aperuit. Et quia non tantum materia requiritur ad demonstrationem, disputatum etiam est ab A-stotele de formis demonstrationis, atq; ita artem demonstrandi, quam tradendam susceperebat, absolvit. Sed antequam hinc abe-am, objectionem movebo, eamque solvam, quæ est ejusmodi: In artibus operatio est separata à doctrina. (Sicut doctrina est in animo artificis: operatio edita est extra animum artificis in alio ut subjecta materia) in quibus enim desinit artis doctrina, ab iis operatio incipit. Ubi enim desinit Doctor artis pingendi, ibi incipit pictor operari: in quibus desinit Doctor artis ædificandi, ibi incipit ædificator operationem suam: ubi desinit medicus Theoricus, id est, tradens artem medicinam, ibi incipit medicus operans, quem vulgo practicū vocat. Logica est ars: Ergo operatio logicæ erit sejuncta ab ipsa doctrina, & ex consequenti logice præcepta tantum ordinem analyticū habebunt. Nam doctrina in artibus requiri-

Solutio.

rit ordinē analyticum ad principia invenienda: operatio ordinē syntheticum ad efficiendum ex principiis domum, navim, vel quid simile. Respondeo. Major vera est de artibus quarū operatio tantū est transiens, seu quæ efficiunt tantū opus corporeum & materiale, quod est extra animū per instrumentum corporeum. Talis ars non est Logica: Ejus enim & operatio in primis est immannens, id est, in ipsomet animo (in quo habitus inest) & opus est incorporeum ac $\lambda\sigma\tau\pi\chi\kappa\sigma\nu$ factum per instrumentum incorporeum. Itaq; doctrina ejus ab effectione non disjungitur. Zabarella propositionem omnino veram esse statuit, sed negat minorem. Logica enim est ei disciplina instrumentalis, non ars. Sed mihi non est religio, Dialecticam artib. annumerare, quia proprius ad artes, quæ Aristoteli in Ethicis sunt mechanicarum seu fabriliū, accedit, tum rerum consideratarum, tum scopi ratione. Quæ sub artem cadunt sunt $\epsilon\nu\delta\epsilon\chi\theta\mu\epsilon\nu\alpha\alpha\lambda\lambda\omega\epsilon\chi\epsilon\nu$, id est, cōtingentia, non absolutè necessaria, id est, tales res quæ nostro arbitratu æquè esse ac non esse possunt. Sic Dialectica agit de secundis notiōnibus, quæ opus nostrum sunt, entia rationis sunt, hoc est, fiunt à nobis libero mētis arbitrio operantibus, ut fieri possint vel non possint: itaq; sunt res contingentes, non necessariae.

sariæ, non' ἔξ ἀράθησ ὄντα. Artes sunt τοιντικὰ,
 occupātur περὶ γένετι, id est rerum, quæ à no-
 bis fieri possunt, generationem: aliquid, quod
 prius non erat tale, efficiunt tale. Sic logica est
 effectrix seu fabricatrix instrumentorum, co-
 gnitionis, doctrinæ, philosophiæ: unde τεχ-
 νο-τελεῖα dicitur. Si mihi offers argumen-
 tum aliquod ἀτακτὸν per logicā facio ἐπακτικὸν, Logica
 ut fiat ex informi, rudi, confusa, indigestaq;
 materia elegans, concinnum, partibus omni-
 bus cohærens & benè coagmentatum opus.
 Hoc τοιντικὸς logicę est πολέλεσμα. Observa &
 ad finem questionis hujus: compositum or-
 dinem in Logica esse præcipuum. Cogitata &
 de hoc cuiusdam philosophi: Resolutivū or-
 dinem ad nullam disciplinam tradendam esse
 accommodatum, nisi compositivo juvetur.
 Ita iudicat Simonius.

P R O B L E M A . XIII.

*An aet. verum sit: Natura prius est: Notitia ergo pri-
 us? Vel: An natura ordine priora soleant esse cogni-
 tione priora?*

Affirmo posterius.

Naturæ ordine priora plerunq; etiam es-
 se cognitionis ordine priora, aliquot il-
 lustribus exemplis planum faciam. Ge-
 nus natura prius est, species posteriores. Et
 genus ratione cognitionis prius est specie-

D 4 bus

bus, ut partibus subjectis Hinc lex pacti & compromissi nostri: Generalia specialibus præponuntur. Mas ut perfectior, ita prior natura est, quam fœmina. Et physicus cognoscit primū de mare: postea de fœmina. Integrū & perfectū prius natura est, quam debile & mutilatū. Homo sanus prior est natura, quam ægrotus. Et prius medicus de sanitate, quam de morbo differit. Dextrum prius est natura, quam sinistrum. Et physicus prius de dextro agit, quam de sinistro. Objicis: Sic ut in omni structura seu opificio proceditur ab imperfectioribus & tenuioribus ad perfectiora: ut mundi opificium ab inanimatis ad viventia, ab his ad sentientia, & ab his ad rationis compotem creaturam processit: Ita in ordine imperfectiora præponenda sunt perfectioribus: Jam verò debile vel mutilatum est imperfectius integro: sexus fœmininus est imperfectior masculino (quia debilior) sinistrum est imperfectius dextro. A dextro enim incipit animalis progressio: sinistro finitur. Ergo prius de mutilo, quam integro, prius de fœmina, quam mare, &c. agendum fuerit. Respondendum est. Primū: propositio major non est universè vera. Nam progredimur ab habitu ad privationem. Habitus autem perfectius quiddā est privatione (quæ est quædam imperfectio). Sic & natura & tracta-

Obiect.

Solutio.

& tractatione prior est vita quam mors: vigilia quam somnus: lux quam tenebrae: integrum & sanum quam mancum & debile: mas, quam fœmina. Deinde monendi hic sunt diligentes: distinguēdum esse inter principium effectivum & materiale. Progredior à Deo ut perfectissimo principio effectivo ad effectum, ut mundum, quo Deus omnibus modis prior est. Progredior item ab imperfectissimo principio materiali ad materialia, quæ sunt perfectiora: sicut tota rerum natura seu universitas facta à præstantissimo & optimo principio Deo, ex vilissimo materiali principio, seu imperfectissimis suis partibus, ut reliquorū omniū futura materie, incepit. Ergo methodicus doctor modò ab imperfectis ad perfecta, modò contrà à perfectis ad imperfecta progreditur. Idem sequenti etiam creatoris exēplo pulcherrimo illustratur. Deus totius mundi fabricam incoavit quidē ab imperfectioribus: ut à materia prima cœli & terræ: sed non etiam primū singulorum & animalium & stirpium semina creavit, ac deinde ex illis ipsa nasci jussit. Principiò enim arbores, herbas, bestias, hominem, quæ perfectius quid sunt, quam semina, existare voluit. Ejus rei causa est, ut docet Franciscus Val-lesius: quod arbor, homo, &c. prior est semine: semen posterius quiddam. Semen enim

*Non prius
Deus creavit
ovum quam
gallinam.*

D 5 est

nucleum,
quam arbo-
rem.

est generationis instrumentum. Perfectum
vero animans vel vegetabile est efficiens pri-
marium. Prior autem est princeps causa, quam
instrumentaria, ut natura prius est id quod
utitur (ut artifex) quam id quo utitur (ut in-
strumentum.) Judicium hujus viri syllogi-
sticum hoc est: Naturaliter prior est causa
efficiens principalis, quam instrumentalis.
Animal est animalis causa princeps effectrix:
Semen organica. Naturalis igitur ordo po-
scebat ut semina fierent post perfecta ani-
malia. Porro haec sententia, Animal prius est
natura quam semen suum, etiam Aristotelea
est. Nam 7. cap. II. lib. primae philosoph. Se-
men, inquit philosophus, ex aliis prioribus
perfectum est. Neque semen primum est, sed
quod perfectum est: *Velut hominem dicere quis-*
pam possit priorem esse semine: Non quidem illum,
qui ex eo generatur, sed alium ex quo ipsum se-
men est.

PROBLEMA XIII.

DOCTISSIMUS & eloquentissimus vir M.
Antonius Muretus reetè existimat, Do-
ctori, ut personam suam cum laude su-
stineat, videndū esse: & Quid, & Quomodo
doceat: ac prius illud requirere, ut tum veri-
tati consentanea: tum oīneīa seu propria ejus
disciplinæ, in qua versatur, doceat. Modum
autem

autem docendi eum esse, ut doceat perspicuè. Hoc duabus rebus confici, ordine & genere sermonis ad res enodādas & enucleandas accommodato, hoc est, verbis propriis, significantibus, ab eorum, qui purè ac emendatè loquuntur, consuetudine nō abhorrentibus. Hujus ego viri judicium secutus, quandiu docui in Academia liberales artes, Ordinis studium præ me tuli, & conatus sum res utilles & necessarias genere sermonis non proffus horrido, illoto, & barbaro, (nitor enim Oratoribus potius quām Philosophis convenit) explicare. Mea igitur de ordine nunc aliquid commentantis, pro re nata quæstio quarta decima esto:

An aliquis ordo sit à posterioribus ad priora? An incipere liceat à secundum naturam ultimis.

Distinguitur

OMNIS ordo est à principiis cognitio-
nis nostræ: Semper enim ordimur à notio-
ribus. Est quidem ordo doctrinæ physicæ à
principiis rei, sed quæ etiam sunt principia
cognitionis. Nam immediata ratio præpo-
sitorum vel postpositorum est Nostra Noti-
tia. Itaq; omnis ordo est à prioribus ad poste-
riora nostra saltem apprehensione & intelle-
ctu. Sed adversari videntur huic sententiae,
1. quod medica ars progreditur à posteriori,
nempe fine, sanitate, ad principia propositi
obiecit.
finis,

finis, nempe remedia, & in universum ordo analyticus est processus ab ultimo ad principia. 2. Quod Aristoteles in phys. à posterioribus ad priora processit, nam argumēto sumto à mutatione deduxit nos ad cognitionem materiæ, quæ principium est rerum mutationi subjectarum. 3. Quod idem cap. 3. libr. 6. Topic. Simpliciter, ait, melius est per priora posteriora tentare, cognoscere. Tale enim est *πιστημονικός τεχνη*. Verūm ad eos qui impotentes sunt talia cognoscere necessarium fortè per ea quæ illis cognita sunt. Ad 1. respondeo per distinctionem. Primò finis & principium & ultimum est, & prius & posterius: Prius respectu eorum quæ vi ipsius sunt: posterius respectu eorum quæ ante finem sunt. 2. finis in collocatione rerum analytica dicitur principium cognitionis, quia à notione seu definitione finis ad principia rei, materiam vel efficientem, cognoscenda progrediuntur: et si ut à nobis per media acquirendus & producendus est, sit posterius quid. Hoc itaq; sensu fas est dicere, ordinem analyticum ire seu esse πορείαν à posteriore ad priora. Sic Ethica incipit à felicitate, quæ secundum naturam seu ordinem rerum ultima est, ut extremitas præceptionum & actionum moralium finis. Ad 2. Distinguuo inter ordinem & methodum: Ad cognitionem principiorum natu-

naturalium, ut materiæ, usus quidem est Aristoteles *ἀναλύσει*, sed ea est methodus resolutiva, non ordo resolutivus. Adhibuit enim demonstrationem à posteriori, quæ signi dicuntur, seu *σημειώσεις*. Sic ad investigationem accuratioris animæ definitionis Φυχόλογος cognoscit animi effecta, vires, & proprietates. Vide Aristotelem libr. 2. de anima cap. 2. Ad 3. Ne hic Aristotelis locus ad ordinem pertinet. Tradit enim tantum præceptum rei exquisitè definiendæ. Definitio constabit è prioribus & notioribus naturâ seu simpliciter: Qui tamen priora nesciunt, possunt assumere ad definitionis constitutionem posteriora. Sed è prioribus κατὰ φύσιν & notioribus ratione definitio Aristoteli est quidam magis scientificum. Quare definitio omnis accurata debet constare ex iis quæ ἀπλάντως sunt notiora, quæ quamvis non sunt nota omnibus, tamen nota sunt illis quorum mens atq; intelligentia bene conformata & constituta est. Nulla igitur ex allatis objectiōnibus aliquid ponderis habet, ad deprimentem nostram sententiam. Sequitur quarta in speciem plausibilior. Certum est tum ex rationibus experientia communitis, tum ex Aristotelis autoritate, omnem hominū cognitionem è sensibus oriri: sensilia igitur & singularia sunt primum cognitum, & ex consequenti.

Solutio.

quenti in disciplinis ordiendum est à sensibus & singularibus, nec principia cognitio-
nis nostræ sunt universalia. Hic distinguen-
dum inter ordinem notitiæ nostræ confusa-
ac rudit, id est, quo simplices rerum conce-
ptus ruditer, imperfectè & confusè primùm
mens nostra apprehendit, & inter ordinem
notitiæ nostræ distinctæ & perfectæ. Ille
prorsus naturalis absoluteque necessarius est.
Hic verò logicus est, & sub nostram cadit
considerationem. 2. E sensibus oritur omnis
humana notitia *agriti*, id est, confusam tan-
tum notitiam primò à sensibus percipimus.
3. Singularia sunt primum cognitum ordine
originis & temporis, & confusa cognitione,
hoc est, prima rudi simplicium conceptum
in nobis impressione, sicut & ipsum singula-
re est quiddam confusum respectu universa-
lis. 4. Universalia sunt principia nostræ co-
gnitionis in disciplinis, non quidem quoad
confusam simplicium apprehensionem, sed
quoad cognitionem complexorum distin-
ctam, quæ proximè parit scientiam, id est, ut
adipiscamur exquisitam rerum notitiam, ne-
cessè est nos prius universaliora quàm minus
universalia cognoscere, quia nequeunt hæc
perfectè cognosci nisi illa sint perfectè co-
gnita: genus enim est essentiale speciei, pro-
inde non potest perfectè cognosci species i-
gnorato

gnorato genere: quò fit, ut prius cognoscenda sit natura corporis quàm viventis, viventis prius quàm animalis, animalis prius quàm specierum propriæ naturæ.

P R O B L E M A X V.

Hτάξις καλὸν. Et quidé ordo & symmetria duę species pulcritudiniſ sunt, eaeq; tantæ, ut quidam, quod verbis Scaligeri reſero, τὰ τοῦτον τὸ οἰκεῖον rerum principia statuerint. Quod igitur ad τάξιν attinet ſcientium & artificum noſtrorum: nunc venit in mentem quærere:

Utrum inter causas internas incipiendum à materia, an à forma?

Hoc dubium oritur ex eo quod Aristoteles h̄ic materiam formæ, illic formam materialē præposuit. Ad excutiendum autem illud teneatur hoc non ſecus atq; animo inuſtum ἀξίωμα quoddam. Ordo naturæ noſtræ maximè conſentaneus, ea quę exactiōrem vel faciliorem reddere aliorum cognitionē poſſunt, priori loco ponit, etiamſi ipſarū rerum naturalis ordo, quo existunt, ſit aliis. Non nunquam enim ordo doctrinæ rerum ordini contrarius eſt, quamvis noſtræ cognitioni ſit maximè accommodatus. Hoc poſito, judicium Aristotelis cognoscatur: materia quidem ordine naturæ prior eſt formā ad quam dirigitur.

Reponde-
tur per di-
ſtinctionem,

gitur. Sed Aristoteles ubi vidit formæ cognitionem conferre ad cognoscendam materiam : prius egit de forma quām materia. Rursus ubi vidit materiae notitiam magnam opportunitatem & commoditatem habere ad cognoscendam formā , prius de illa quām de hac docuit. In primo de partibus animalium agit , prius esse agendum de materia , id est , partibus corporis quām de forma , id est , anima. Ecce vero ? primò & potissimum , quia animalium partes bene cognitae , animæ (quæ magnis difficultatibus est impedita) *De animalibus* faciliorem reddunt : Deinde etiā quia materia prior est formâ ordine nascendi seu generationis. In *Physica* prius de forma quām materia tractat. Etsi autē forma est prior quām materia , ordine intentionis , quasi consilii & scopi naturæ , quia materia est propter formam , ut imperfectius propter perfectius : hic tamen istud non considerat Philosophus , sed hoc , quod non potest prima materia cognosci nisi ex mutatione quæ est de privatione ad formam , vel de forma ad privationem. Ita judicat Zarabella , cuius haec verba sunt lib. i. de materia. Erat quidem subiectum prius natura (intellige naturam generantem) contrariis , sed quoniam ignotius offerebatur , & ad ejus notitiam necessaria erat principiorum contrariorum cognitio , Aristoteles

Aristoteles primo loco de contrariis egit, postea
verò de subjecta materia. Sic judicat Theodo-
rhus Zvingerus, Aristotelem explicato fi-
ne vitæ practicæ, nempe beatitudine, expli-
care efficientem & formam: & efficientē qui-
dem causam priore loco, non tantum quia fi-
hem immediatè sequitur, cùm ipse quoque
inter externas causas connumeretur, sed et-
iam quòd forma (nempe habitus animi seu
virtutes) cognosci rectè nequeat, nisi animus
hominis aliquomodo cognitus fuerit. Talia
exempla observanti occurrit plurima, ex
quibus perspicitur aliquando ordinem natu-
ræ rerum à philosopho non observari, cùm
alterum ad cognitionem alterius non parum
momenti afferre videtur.

P R O B L E M A X V I .

Utrum unius disciplinæ ordo, id est, dispositio partium
disciplinæ, possit esse progressus à generalibus ad
minus generalia, à causis ad effecta, à simplicibus
ad composita, à partibus ad totum?

Affirmatur.

Non mirum tibi videri debet, quòd in u-
na eademq; disciplina notari potest pro-
gressio à simplicioribus ad concretiora,
à partibus ad totum, à principiis primis ad
secunda, ab his ad tertia, à genere ad species
&c. & tamen unius modi seu generis ordo
E mānet,

manet. Diversis autem seu aliis atq; aliis terminis exprimitur pro diversa consideratione, affectione & comparatione inter se materia, de qua explicat disciplina. Exempli causa: Dialectica dividitur in partes, quarum subjecta, argumentum, enunciatio, argumentatio, itionem quandam à partibus ad totum argumentant seu significant. Grammatica distribuitur in partes. Harum partiū subjecta, nempe litera, syllaba, dictio, oratio, progressionē quādam à partibus ad totum, à simplicibus ad composita indicant. Litera enim est pars syllabæ, syllaba pars dictionis, dictio pars orationis: simplicius quid est dictio, cōpositum quid oratio: Deinde divisio vocis in Nomen & Verbum, &c. progressionem tibi subjicit à genere ad species. Totius physicæ progressio est ratione quidem subjecti à genere ad species, seu à generalioribus ad minus generalia: à corpore naturali ad simplex, à simpli ci ad mistū, tum imperfectum, ut meteorū, tum perfectum, hoc est, inanimatum & animatum, & tandem ad horum species ac differentias. Ratione verò principiorum est progression à magis universalibus ad minus universalia, nempe à remotissimis seu primis rerum naturalium principiis ad particularia & propria, ab his ad proxima, & à simplicioribus ad concretiora. (Interna enim principia corporis

corporis physici amplissimè sumpti simpliciora sunt internis principiis misti, quatenus
 mistū est, & hæc simpliciora sunt principiis animalis quā animal est.) Itaq; à causis internis
 ad effecta, à principiis ad principiata. Mistæ enim sunt elementorum effecta & principiata.
 Hic seu duplex seu multiplex respectus non
 parit duos ordines doctrinæ physicæ. Nota enī
 nim est regula: Unum & idē numero perma-
 nens potest habere duplē, imò multipli-
 cem cōsiderationem. Observa tamen de pro-
 gressione à partibus ad totum hoc. In scien-
 tiis propriè non datur totum ex partibus in-
 tegrantibus prius conflatum, à quo doctrinæ
 initium sumi possit: sed initium sumitur à
 Toto communi, seu prædicabili, id est, à de-
 finitione subjecti amplissimè sumti: ut in
 physica à definitione corporis naturalis. Hinc
 proceditur ad partes essentiales, materiam &
 formam, quæ sunt principia corporis natura-
 lis interna, hoc est, ad essentiam eius attinen-
 tia. Harum tractatio, inquit Zabarella, tra-
 ctationi totius nunquam est postponenda:
 partes ad essentiam pertinentes prius sunt
 nescendæ, quām totum. Postea sequitur tra-
 ctatio Totius. Hæc à tractatione membro-
 rum seu partium integrantium, hoc est, quā-
 titatem & molem corporis physici spectan-
 tum, sejuncta esse non potest: sed ita sem-

per cum ea conjuncta est, ut nec hæc illam, nec illa hanc præcedere aut subsequi propriæ dicatur. Nec tamen quicquid toti convenit, illico partibus convenit. Toti convenit definitio ejus propria, quæ tamen non est vera de partibus. Mundo, ut toti cuidam convenit, ut sit unus, sit omni ex parte perfectus, sit conflatus ex omni corpore gravi, levi & neutro, sit imago sensibilis insensibilis Dei. Sed hæc non convenientia partibus mundi. Nihil autem moror reprehensores, qui carpunt, quodcum Scholis voco Formam rei partem, et si in disciplinarum descriptione ferè semper adhiberi totius integrati in partes integrantes distributionem, quæ ideo partitio dicitur, non inficiet:

PROBLEMA XVII.

An ordo proficitatur à speciebus ad genus?

Negatur.

ATæxiæ & confusionem doctrinæ esse rationem à speciebus ad genus, certum est. Fr. Piccolom. Senensi. in comite politico: Dum ordimur à speciebus ultimis, facile labimur in varia absurdâ, ut Aristot. nos monuit in 1. de partibus animalium. Sed opponi potest locus Aristotelis, qui est in post. anal. lib. 2. contextu 82. A singularibus ad universalē trâseundum est, id est, à specialibus ad ges-

ad generalia. Respondeo : Locus iste nihil
prosul adversus nos: Docet enim ibi Aristoteles rationem seu viam indagandę definitio-
nis, aitq; ab inferiori seu angustiori progre-
diendum ad superius & cōmuniū: quod fa-
cilior sit ratio definiendi angustius & inferi-
us , quām communius & superius , quia ad
angustioris & inferioris definitionem pauci-
orum (quæ facilius colliguntur , quām mul-
ta) compositio requiritur , & in angustiore
homonymiæ non ita latent , ut in commu-
niōri . Hanc esse veram illius loci interpre-
tationem , ostendunt cūm aliā , tūm verò hæc
proximè præcedentia : Facilius autem e s t defini-
re singulare , id e s t speciem , quām universale , id e s t
genus , Quapropter à singularibus , &c. Commit-
titur igitur fallacia consequentis , si ex isto
loco inferatur quod sententiam nostram de-
struat: id e s t : Non sequitur hoc: A singulari
ad universale in constituenda p e r compositi-
onem definitione progrediendum e s t : Ergo
doctrinæ ordo ab universalibus ad singularia
seu particularia progr̄editur. Seu Aristote-
les præcipit oportere ad indagandam gene-
ris definitionem res considerari singulares ,
& quod in illis commune sit , notari: ex ob-
servata verò rerum reliquarum in singulari-
bus communione propriam generis diffe-
rentiam affectionemq; educi: Ergo Aristoteles

Obiect.

Solutio.

teles vult ordinem doctrinæ à singularibus ad universalia ascendere. Nec quicquam virium habet istud: Rudioribus, hebetioribus, & imperitis specialia sunt notiora: Ergo à specialibus transeundum est ad universalia in methodo doctrinæ constituendæ. Hic enim 1. consecutio rectè negatur. Sit tibi docendus rufis & minus alacri ingenio discipulus, nihilominus hunc à generalibus informabis (quia hic ordo facilimus & clarissimus) & generale præceptum ei obscurum, ignotum, difficile, è medio sumptis seu communibus & popularibus argumentis ac familiaribus exemplis declarabis. Quod si progrediariis à specialibus ad generalia, memoriam discipuli istius obrues multitudine & confusionē repetitarum rerum, quia necesse tibi erit in singulis specialibus generalia quælibet nondum definita declarataq; repeteret. 2. argumentum rectè invertitur sic: Rudioribus sensilia ut singularia sunt notiora, *vix* verò ut universalia ignotiora. Universalia autem ad perfectionem doctrinæ & scientiæ requiruntur. Ergo ut rudiores qui singularia facile percipiunt sensu externo, siant docti & periti, & quidem facilius discant & sciant, deducenda est iis doctrina ex universalibus, quibus, è rebus sensu perceptis, accedit illustratio. Huc facit illud Aristotelis 2. lib. 9. cap. de generatione

tione: Facilius singula cōtemplabimur, quando sumserimus primū de universalibus. Et lib. I. cap. i. de partibus animalium. Necesse est autem universalia prius dicere, aut sēpius idem (in specialibus) repetere (*παλολογίαν*.) Hi loci apertè dicunt ὁδοι ποείαν ab universalibus in dispositione disciplinarum esse & faciliorem & necessariam. Sed video rursum opponi posse locum Aristotelis lib. I. Metaph. cap. 2. Ferè difficilima hominibus cognita sunt ea quæ maximè universalia sunt: siquidē remotissima sunt à sensibus. Hinc enim ita inferri potest: Faciliora cognitu in ordine doctrinæ præmittuntor difficilioribus. Magis universalia sunt cognitu difficilia, singularia faciliora. Ergo à magis universalibus non est exordiendum. Hic primū ad prop. maje-rem respondeo: A facilioribus incipiendam doctrinam, quatenus sunt talia, ut inde ad puram, perfectam & distinctam disciplinam dicipulus deduci possit. Deinde ad ass. Universalia sunt cognitu difficilia, non quoad doctrinam, sed quoad primam originem & inventionem, seu potius aliquam investigationem & præmeditationem doctrinæ. Qui enim primi doctrinas venari & invenire cœperunt, ii inceperunt ab iis quæ sensibus sunt propiora magisq; familiaria, cuiusmodi sunt minūs universalia. Postea doctores, qui jam *doctores di-*

sciplinarum
 incipiunt ab
 intellectui
 notioribus, omnia, quæ tradunt aliis, perfectè assentit
 sunt, accuratam doctrinam incipiunt à ratio-
 ne notioribus, cuiusmodi sunt magis univer-
 salia. Singulària sunt cognitu facilitiora, seu fa-
 cilius apprehenduntur, scilicet cognitione &
 apprehensione confusa ac rudi originali. Sed
 in artificioso ordine spectatur distincta co-
 gnitio. Ideò in Physica prius tractatur de ani-
 mali, quàm de specie aliqua animalis: Ac ge-
 nus animal non modò ut totum cognosci-
 tur prius quàm species, sed etiam ut pars es-
 sentialis. Deniq; maximè universalia, id est,
 substantiæ à materia abjunctione per essentiam
 (ut Dens) sunt nobis ignotissimæ difficili-
 maq; cognitu, scilicet nisi prius cognita sint
 quædam, quæ declarantur in physica: quæ
 causa est cur metaphysica post physicā addi-
 scenda. Ordo enim hīc melioris & facilitioris
 nostræ cognitionis spectatur: propter quam
 quidem magni auctores alicubi minus univer-
 salia universalioribus præposuerunt. Nam A-
 ristoteles, et si plantæ universalius aliquid &
 prius sint animantibus, tamen prius de ani-
 mantibus quàm de plantis differuit. Quid ita?
 quia partes animantium sunt distinctiores,
 evidenteriores, magisq; conspicuæ quàm par-
 tes plantarum, cùm hæ ex collatione seu si-
 militudine cum animalium partibus cogno-
 scantur, ut radix plantæ instar oris est, seu pro-
 portio-

portione ori animantis responderet. Considerantur & in plantis, caro, venæ, &c. quæ propriè dicuntur de animalibus: propter *av-
λογίαν* autem & officij similitudinem plantis tribuuntur, cum harum partes alias nominibus careant. Radicis igitur naturam facilius in plantis cognosci post cognitionem oris, carnis, venarum, animalium, Aristoteles judicavit. Alii volunt ordiri Aristotelē ab animalibus, ut à præstantiori vel perfectiori progrediendo ad plantas, ut ad minus præstans & imperfectius. Videtur Aristoteles etiam in 3. de anima ordinem à communi non servasse: quia prius de mente differit, quam de facultate motrice, cum tamen hæc illa sit communior. Sed respondet Piccolomineus, ne hic quidem Aristotelem ordinem ab universalibus neglexisse, eò quod ad æquatum principium motus animalium sit phantasia seu imaginatio & mens, ideoq; hic motus sit aliquid naturâ posterius sensu & mente. Phantasia quidem motus illius *άρχη* est in brutis; Mens vero in homine: ita tamen, ut non moveat sine intermedia phantasia & appetitu. Vis enim appetendi non est sine phantasia. Phantasia autem omnis aut est per rationem, aut per sensum. Videris, si placet, Arist. 3. de anima, context. 57. & lib. de motu,

PROBLEMA XVIII.

UT Dei admiranda appetet dispositionis sapientia in hoc mundi amphitheatro:

Sic recto ordine in disciplinarum systematis non exigua arguitur sapientia docentium. Ad quam ut aspitemus, si possimus, liceat nobis esse multis in proposito argumento. Quaritur autem:

An à tota arte ad partes aliquis ordo dici possit?

Negatur.

IMPERITI putant à Grammaticæ definitione progredi ad partitionem Grammaticæ, esse procedere à tota arte ad partes. Non enim ullus ordo (hoc est, recta ratio ordinandi disciplinas earumq; partes) est qui rectè dicatur ordo à tota disciplina ad partes, sicut & nullus est qui vocetur ordo à parte ad partem. Utrumque patet, quia de partibus agere ut partes sunt, id est, respectu totius, est de toto ipso agere. Totum enim nihil aliud est, quam partium collectio. Ars igitur tota nihil est cum partes adhuc non sunt tractatae. Ut autem tota ars extet necesse est nos irè à parte artis ad partem, id est, partem unam post aliam collocare, & quidem bene ordinare: in qua dispositione & ordinatione hæc pars artis notior est, habetque rationem universalis, communioris, superioris: Illa verò ignotior est, & rationem habet particularis, angustioris,

oris, inferioris. Itaque ordo dicitur ab universalibus ad minus universalia, à notioribus ad ignotiora.

PROBLEMA XIX.

SCIRE quid facias doceásve, nescire autem Ambros. &
Baldu. quo ordine facias, doceásve, non est perfectæ cognitionis. Quæro igitur:

*An primum definire totum esse entiale, vel integrum,
& postea hoc in partes distribuere, sit propriè ordo
à toto ad partes, seu à composito ad simplicia, à
principiato ad principia?*


Negatur.

IN Physica non proceditur à principiis, materia & forma, ad corporis naturalis definitionem, sed contrà à corporis naturalis definitione ad principia in quæ distribuitur. In Grammatica non proceditur à literis vel syllabis ad definitionem vocis, sed contrà à definitione vocis ad elementa ex quibus constat: Et tamen utrobiq; apparet aliquis ordo à simplicibus seu partibus ad totum seu compositum: à principiis ad principiata, quæ separatam ab illis tractationem & doctrinam habent nullam. Juniores hoc fortassis mirabuntur, cùm materia & forma physica & literæ principia & partes sint, illa corporum naturalium, hæ vocis. Sed mirari desinent, si cogitabunt definitionem rei non esse totum

totum quod in disciplina tractandum est, & tractationem totius dici non posse extra citraq; suas partes, cum ex partibus totum fiat & constet, & sine partibus nihil sit, ideoq; omnes partes tractare esse ipsum totum tractare, & ipsum totum tractare esse ipsas partes omnes tractare. Definitur quidem prius corpus naturale in physica, & postea disputatur de ejus principiis: definitur prius vox in Grammatica, & postea partes ejus, literæ & syllabæ explicantur: at tamen in utraq; disciplina servatur ordo à principiis ad ea quæ ex his orta sunt. à partibus ad totum: proceditur enim in physicis à principiis corporis naturalis ad divisionem corporis naturalis, & ipsa corpora naturalia in specie. In Grammatica à principiis vocis ad divisionem vocis seu ipsas voces in specie. Erras igitur, si putaveris, Geometriam, Arithmeticam, Astronomiam, Συνολογίαν, συστηματική τάξη omnino sic esse informandam, ut in doctrina de tempore à definitione scrupulorum ad definitionem horæ, ab horæ definitione ad definitionem diei, à diei definitione ad definitionem mensis: Item à definitione quadratum anni ad definitionē anni: ut in Geometria à definitione puncti ad definitionem lineæ: ut in Arithmeticā à definitione unitatis ad definitionem numeri satur. Nam definienda est prius hora quam scrupu-

scrupulum, pars horæ, priùs dies quām hora,
 pars diei, ut priùs tempus quām partes vel
 species temporis, priùs linea quām punctum,
 ut priùs magnitudo quām species magnitu-
 dinis. Objicis primò, quando totum distri-
 buitur in partes, hæc progressio est à toto ad
 partes. Resp. Si totius in membra seu partes
 distributio, id est, partitio est à toto ad
 partes, erit quoq; definiti definitio à toto
 ad partes. Sed nō hoc : quia definiti definitio
 ne quidem à toto seu ordo est, sed tantùm ma-
 teria ordinis: Ergo nec illud. 2. Est progres-
 sio à genere ad species: Ergo & à toto essen-
 tiali ad partes. Respondeo. Nego consequen-
 tiā, quia est dispar ratio: A genere ad species
 est progressio, quia genus esse sine speciebus
 potest: Genus enim & differentia propria has
 cōstituunt, ideoq; plus in est speciebus quām
 generi. At totum esse non potest esse
 sine partibus suis, quia partes absolutè totum
 illud constituunt. Ideoq; non in est plus par-
 tibus seu membris quām toti. Ex his judica-
 bis non dicendam esse progressionem à toto
 essentiali ad partes in ἀνθρωπολογίᾳ hanc.

Obiect. 2.
cum solue-



Perpetua tantum hæc est distributio, ubi
unum habet rationem generalissimi, unum
specialissimi: reliqua subalternorum. Ordo
igitur hic est: quia multæ sunt hic distribu-
tiones, è quibus aliæ superiores & priores,
aliæ inferiores & posteriores. Sic ordinis est
procedere à definitione ad distributionem,
quia definitio habet se ut supremum & ge-
neralissimum: distributio ut huic proximum
& subalternum: Definitio similis est perime-
tro, distributio diametro.

PROBLEMA XX.

*An ex preposito ultimo fine iudicandum, ordine analy-
ticō doctrinam esse informatam?*

Negatur.

Utilis est admonitio, ne quis ex parte ali-
qua operis de toto judicet, nec ordinem
constituat esse eum, quem primi versus
alicuius libri præ se ferre videntur. Tota se-
ries spectanda est, ac comparanda antece-
dentia cum consequentibus, media cum pri-
mis & ultimis, & vicissim. Exempli causa: Si
in principio libri alicujus de Grammatica
scripta deprehenderis, Grammaticam esse ar-
tem emendatè loquendi, vel finem ejus esse,
ut sensa animi oratione pura exprimamus,
non statim pronunciabis eam artem esse in-
formatam ordine analyticō, sed continuam
seri-

seriem & totam præceptionum cohærentiam & colligationem spectans, ex constructione & conformatione totius operis ordinem cognominabis. Sicsi Geometra initio moneat de Geometriæ usu, inde non judicabis illico opus Geometricum esse scriptum methodo analyticæ. In omnibus disciplinis & finis proponi potest, ut omnes habent finem, & præcepta, ut media quæ ad finem perducunt. Contemplantium finis est cognitio rerum. In reliquis disciplinis finis est operatio, $\tau\omega\in\sigma\tau\omega$ vel $\tau\omega\tilde{\epsilon}\xi\tau$ (est enim aliquid efficiendum vel agendum) & is quidem initio necessariò proponendus seu definieñdus. Cùm igitur dicimus, ordinem resolutivū omnino exordiri oportere à notione seu definitione finis, intelligitur finis aliquis extra cognitionem & animam nostram positus, diversusque à nostra cognitione, nempe qui cùm nondū sit, fieri tamen & produci à nobis liberé operantibus potest: Sic Archite-^{Zabarell,}
 ctonica à domo: Ethica à felicitate: Medica à sanitate incipit, tū tuenda, tum recuperanda.
 Si igitur aliquis tibi objecerit hoc: Omnes ^{Obiect,} disciplinæ habent finem, de quo moneri potest initio, vel qui in definitione disciplinæ inest. Ergo omnes artes erunt scriptæ ordine resolutivo. Respondebis negatione cōse-^{solutio-}
 cutionis. Aliud etiā est finis, ad quem ordo
 dirigi-

dirigitur: Aliud id à quo incipit. Dirigitus
ordo primæ philosophiæ ad finem, qui est
divinarū rerum cognitio, sed ab hoc fine non
incipit. Aliud est finem initio proponere, ut
physicæ finis est naturalium rerum cognitio:
ordinis scopus est in quoque genere perfectæ
cognitio. Aliud est ordiri à definitione finis
(ut à definitione cognitionis rerum natura-
lium propriæ, à definitione perfectæ cogni-
tionis.) Prīus poteſt fieri in ſcientiis contem-
platricibus. Posterius eſt disciplinarum ope-
rantium ſeu ordinis analytici.

PROBLEMA XXI.

An sit progressio quædam à ſenſilibus?

Diftinguitur.

ESSE aliquem ordinem, ſed qui non eſt
doctrinæ, à ſenſibus ad *nūxatīas vōntā*,
quæ nondum inventa ſenſus ministerio
colliguntur, nemini dubium eſte debet: de
quo nunc clarius eſt nobis differendum. ſenſibus
universale venantur, & ad iſum ſcire
proficiſcimur. ſenſus, ut rationis antecambu-
lo eſt, & minister, ſimiſis exploratori, captat
& cognoscit singularia, quæ poſtea tationi
communicat. Seu ut diſtinctius dicam: Reſ
ſenſiliſ à ſenſu percipitur, à ſenſu ad phanta-
ſiā transmittitur, à phantaſia ad intellectū de-
fertur, in quo veluti quiescit. Initū igitur in-
veniō.

ventionis disciplinarum à sensu: seu à sensu prima cognoscendi occasio pendet: à sensu prima præceptionum observatio extitit, sed ipsa ratio præcepta conformat & continet universalia. Dicitur igitur potest ordinem observationis præceptorum esse à sensibus: ordinem vero constitutionis & traditionis seu διδασκαλίαν τάξεως ἐχουέντων esse ab universalibus. Sensus igitur & sensile principium fuerit disciplinæ remotum. Ratio & universale propinquum. Id quod ostendit hæc gradatio: Ex sensu fit memoria. E memoria eiusdem rei frequentata & crebrius redintegrata experientia particularis, id est, quædam tantum seu plura singularia complectens. Ex hac experientia fit universale, quod non quædam tantum, sed omnia singularia sub se complectitur, nec reipsa, sed tantum ratione ab universali experientia differt. Hoc igitur universale est artis & scientiæ principium immediatum. Quod ergo alii originem artium tribuunt ipsis singularibus, alii inductioni horum, id eiusmodi est, ut commoda interpretatione utrumq; teneri possit, nempe ut dicatur, occasionem primæ cōsiderationis & incepionem disciplinarum esse à singularibus, ut unum post alterum temporis decursu progres- suque apprehenditur & observatur: unde nondum perfectum documentum existit.

**Inductione
notiones u-
niversæ præ-
ceptionesq;
sunt collec-
tis.**

Ipsam verò inventionem absolutam existere ab inductione singulariū, ex qua perfectum aliquod præceptum existit per subalterna, nempe universale, cuiusmodi præceptis artifices jam opera sua architectari & coagmuntare possunt. Nam universale sensu (ut sensus est, id est, non conjunctus cum alia potentia) non cognoscitur, sed est intellectio & scientiæ, ideoq; rei universalis occasio: ac intellectus à sensibus excitatus ad universalia tendit. Sed ajunt multi: doctrinas inveniri primùm à summo fine descendendo ad infima. Respondeo. Ajunt quidem, sed mihi non probant. Affirmo igitur contra eos ex Aristotele, Generalia & universalia artium παραγέλματα documentaque inveniri inductione rerum singularium: (ut inductio est, Helleborus atram bilem purgat in Socrate,

**ii) Hoc uni-
versale prin-
cipium est
artis. A ra-
tione enim
assumptum
pro confessio-
ne οὐλον
evadit.**

in Platone, in Aristotele, &c. Ergo Helleborus in omnib. hominibus habet vim purgandi atram bilem. Hinc generalis thesis in arte medica: Helleborus habet vim purgandi atram bilem:) Tandemq; cùm particula- tim fuerunt inventa incipiendo à generali- bus generatim collocari. Occurrunt hīc sex scrupuli, qui aliquem diligentius ea quæ diximus examinantem premere possunt. Itaque tollendos eos existimo. Primus est, quod di- ximus, sensum esse singularium, idq; cū Ari-

stote-

Notate, qui i. phys. contex. 49. Universale, in-
 quit, ratione notum est, singulare verò sensu.
 Ratio enim universalis est, sensus autem illius,
 quod in parte est. At lib. 2. post. context.
 106. dicitur sensum esse universalis, cui expe-
 tientia suffragatur. Percipimus enim visu
 (verbi causa) non tantum hunc, sed omnem
 colorem. Dicitur & modò adducto loco è
 Physicis: Rarum & densum sensu notum es-
 se. Rarum autem & densum communia seu
 universalia sunt. Respon: i. per distinct. οὐ-
 νάπειως & εὐρεῖας. Sensus est singularis, si a-
 ctum sentiendi species. Quicquid sentitur
 recipia singulare est, ut oculi sensu apprehen-
 ditur actu hic color, ille color, non omnis.
 Sensus est universalis, si consideres sensus &
 potentiam & naturam, ut aptus est visus uni-
 versè recipere colorem, non hunc duntaxat
 aut illum. Sensus ratione potentiae sive ad
 objectum comparatus est de re universali:
 At comparatus suo actu qui est scientiæ, est
 de re singulari. Sic: ut visus est potentia com-
 munis, ad plures actus singularium compa-
 rata, est universalis. Ut, actus est indivi-
 duorum. Auditur quidem singulare, & actus
 audiendi occupatur tantum in singularibus,
 ut in hoc sono. Sed ipsa nihilominus audien-
 di facultas & natura ad universum suum sub-
 jectum directa est, id est, auditus universa-

liter soni est ita comparatus, ut possit quemvis sonum percipere. Non igitur pugnant inter se: Sensus aptus est universum suum subjectum, non partem tantum sentire: Et sensus tantum sentit, scilicet cum sentit, partem & singulare, non totum suum objectum. 2. In physic. rarum & densum pronunciantur minus communia & sensu nota, non simpli- citer, sed respectu magni & parvi. Rarum & densum quae calidum & frigidum consequuntur in naturalibus duntaxat & sensum habentibus corporibus locum habent, ideo minus universalia sunt quam magnum & parvum, quae absolutè in corporibus, ideoque tam mathematicis quam physicis, ut quanti affectio- nes, locum habent. Secundus scrupulus. Sen- su prius & facilius cognoscitur magis univer- sale quam minus universale. Prius sensu co- gnovimus equum ut corpus est quam ut ani- mal est, & prius ut animal est quam ut equus est, distinctus ab asino & bove. Facilius enim ea quae multis communia sunt inspicimus & intelligimus quam quae singulorum propria sunt. Respondeo: Hoc ipsum quod inspicis totum est sensibile & γνῶσεως αἰδοντικῆς, hoc est, inspicis hunc equum, hoc animal, hoc cor- pus, quae singularia sunt sub sensum primò cadentia. Et tota confusaque dicuntur (sed αἰδο- μ, ut dixi) quia ex partibus sunt concreta.

Tertius

2. Obiect.

Solutio.

Tertius est. Non semper ex inductione, sed aliquando ex uno particulari sensu efficitur universale & scientia. Solis enim (quod unicum numero seu singulare est) est scientia. Sic demonstrari aliquid potest de mundo, qui unicus est. Non igitur tantum ex pluribus singularibus & particularibus, sed ex uno etiam ab intellectu produci potest intellectio, & pars aliqua scientiae inveniri & colligi.

Responsio. Tomitanus, logicus & Philoso-
phus nostræ ætatis eximius, respondet per
distinctionem: Non sit scientia & universale
ex singulari scilicet semel per sensum co-
gnito, & absque adminiculo phantasiae. At si-
eri potest universale & scientia ex singula-
ri scilicet saepius sensu percepto, vel conce-
pto, ac phantasia secum ipso aliquoties com-
parato. Quod ut melius intelligatur, te-
nendum est species universales esse duplices.
Quædam enim habent unicum sub se indivi-
duum, ut Mundus, Sol, Terra. Quædam
verò habent plura individua, ut species hu-
mana: Catonem, Platonem, &c. Omnes autem
intellectus objecta sunt ut à suppositis parti-
cularibus abstrahuntur: Verum in hac abstra-
ctione facilius intelligitur species, habens
plura individua, quam ea, quæ habent uni-
cum individuum, quoniam, cum species in-
telligibilis sit similitudo omnium individuo-

rum, facilius ea similitudo cognoscitur in multis, quam in uno tantum. Quia τὸ φάνταστον (id est vis imaginatrix) excitatum à diversis singularibus faciliter elicit φάντασμα, quod postea opera intellectus potest fieri universalis.

i) Alli dicunt: sub generi unica species individua.

Cum autem sub specie unum tantum est individuum, seu hoc aliquid: tunc intellectus etiam excitatur à phantasia seu facultate imaginatrice concipiente illud individuum, secum ipsum bis, ter & amplius comparatum, & ita fit universale ex unico illo singulari imaginationis opera ac beneficio. Sic Sol aliquoties per imaginationem conceptus occasione praebet intellectui, ut tanquam species universalis intelligatur. Hinc ajunt interpres Aristotelis in cap. 5. 2. post. analyt. De mundo, luna, & similibus rebus, quae unicæ & singulares sunt, affectione demonstrandam esse, non ut individua sunt, sed ut species sunt, id est, sub ratione universalis. Lunæ enim natura, et si in unico individuo subsistat: sua tamē naturā communis est, inquit, & in pluribus subsistere potest. Quare demonstratio Eclipseos ita accipienda est, ut, si plures ejusdem speciei seu generis, quam una Luna essent, statuendum sit de omnibus verum esse, eas Eclipsei pati. Sic, si unicus tantum homo superstes esset, non tamen de hoc individuo, quam individuum, sed de com-

muni

ii) Alli ge-
nora.

muni hominum natura, quam speciem vul-
gò dicunt, τὸ γέλασικὸν seu facultas ridendi de-
monstranda esset. Quartus scrupulus. Vide-
tur & progressio à sensilibus esse ordo do-
ctrinæ artificiosæ : quia hic incipit à notio-
ribus nobis : seu est à principiis nostræ cogni-
tionis, ut docet Zabarel. Incipiat igitur ne-
cessè est à sensilibus. Sensilia enim sunt nobis
notiora. Resp. per distinctionem. Ordo arti-
ficiosus incipit à notioribus nobis secundùm
nostram distinctam, propriam & in eo genere
perfectam cognitionem. Illa enim quæ ad ali-
orum distinctam cognitionē necessaria sunt
cognitu, ut generalia, prius tractanda sunt :
quia ignoratis iis non possunt alia, ut specia-
lia, cognosci, nisi imperfectè & confuscè. Sen-
silia autē sunt nobis notiora cognitione con-
fusa, minus explicata, imperfecta. Sed dem-
ptis scrupulis, antequam à proposita quæsti-
one abeam, subjiciam exemplum illustre
progressionis à sensilibus & particularibus
ad *vōntōv* & universale, ad musicam pertinens.
Consonantiae, ut diapéte, diapason, &c. prius
fuerunt notæ, quām proportiones : quia au-
ditu judicatæ fuerunt motis chordis. Pytha-
goras autem, ut consoniarum rationes in-
veniret, diu multumque laboravit, sed non
invenit. Tandem autem fortè fabrorum offi-
cinam præteriens, sensit alium malleum so-

nare diapason, alium diapente, alium diatessaron. Ac ita rationes invenit: Sed dubitavit postea, an ratione percutientium, an malleorum discrimine soni diversi fierent: ac animadvertisit, malleorum discrimine fieri. Tunc cœpit explorare pondera malleorum, & deprehendit eos, qui diapason sonabant in dupla, qui diatessaron in sesquitertia, qui diapente in sesquialtera ratione consistere: postea non quievit mens philosophi, sed quod deprehendit, transtulit ad sonos vocis humanae & instrumentorum: ac pronunciavit nervos, qui octavam servarent, esse in dupla ratione, qui diapente consonantiam facerent, esse in sesquialtera ratione, quæ diatessaron in sesquitertia, & tonum ad tonum habere rationem sesquioctavam. Ac tandem universaliter conclusit, octavam seu diapason servare rationem duplam tam in longitudine, quam in crassitie. Quintus scrupulus, Vitello in opticis procedit à definitionibus & petitionibus ad theorematum: Quædam autem è definitionibus istis & petitionibus sunt in locis aliis declaratae: quædam sunt notæ sensui: Sicut Vitello initio lib. 2. disertè inquit: Quæ præmittimus, ut nota sensui, sunt ista: 1. Corpus luminosum dicitur omne corpus quod est luminis sui diffusivum. 2. Corpus diaphanum dicitur omne corpus, per quod lumi-

lumini patet transitus. 3. Corpus umbrosum dicitur corpus, per quod lumini non patet transitus. 4. Lux prima dicitur, quæ efficit secundam, &c. Petimus autem hæc, ut per se sensui nota. 1. Lucem compressam esse fortiorem luce dispersa. 2. Lucem fortiorum vehementius illuminare, & longius se diffundere. 3. In absentia luminis umbram fieri. 4. Lucem res coloratas pertransirentem illarum coloribus infici, &c. Ergo quoq; ordo doctrinæ est progressio à sensilibus. Respondeo. Tales definitiones & petitiones, et si per sensum innotuerint nobis, & sensu dijudicentur & declarentur: quæ mens est Vitellonis, cum dicit esse sensui notas: (Ait enim: Lucem res coloratas pertransirentem colorari illarū coloribus, patet ex luce transiente fenestras vitreas, quæ illorum vitrorum coloribus informatur: Lucem primam dici illam quæ efficiat secundam: sicut lux trans domum per fenestram, & illuminans domum residuam in loco cui incidit, dicatur prima, in angulis vero domus dicatur lux secunda:) Tamen sunt ejusmodi inquam definitiones & petitiones enunciata universalia, ac ita & non aliter in disciplina considerantur, nec non sunt ratione seu intelligibilia. Et singularia enunciata quæ ex iis fiunt, quæ iis subjiciuntur, quæ in iis continentur, verè sunt

etiam seu sensilia. Sextus. Aliquando causa percepitur sensu. A tali igitur causa doctrinam incipere est incipere a sensilibus. Jam si non est incipiendum a sensilibus, ab effectis talis causae erit ad hanc procedendum. Respondeo. Non nego aliquas rerum causas esse sensiles, ac fieri posse, ut causa ab aliquo prius sentiatur, quam effectum: ut si quis videat interpositam Lunam inter Solem & terram, statim cognoscit per causam fieri eclipsin: Sed addo: quod aliquando sensu cognosci & percipi causa dicitur, id non intelligendum exclusivè, sed copulatè: & sensu & ratione: sicut contrà causam sèpissimè prior est effectis, ratione tantum: quo modo sequentis tabulae alibi à me traditæ, quam in transcursu adjicio, posterius membrum accipiendum est.

Causa est	{	Semper	{ Prior natura: effectus posterior, Respectu dependentia & rerum ipsarum secundum se: quia effectus, ut effectus est, pendet a causa ut a priori. Sic prior est faber quam gladius.
			{ Simul natura cum effecto, Respectu relationis, quia formaliter sunt correlata causa & effectus.
			{ Ut plurimum prior effectis, Ratione seu intellectu, seu cognitione per rationem: Effecta vero posteriora sensu seu cognitione per sensum.

P R O B L E M A X X I I .

An perfecta accurateq; doctrina ordo sit à minus universalibus?

Negatur.

U niversalia primò docere, esse viam terribris offendere, non dubitant quidam è recentioribus scribere. At inquam ego: Universalia primò docere est viam illustrare, & discenti facem præferre. Quid ita? Quia genus, quod universale est, est clarus & illustrius specie. Nam species illustratur & definitur genere, nō contrà. Species definitur pars generis. Genus verò totum partibus suis essentiale. Et generis natura tota perfectè explicari potest & intelligi absq; specie, ut natura animalis absque homine (propria scilicet hominis forma non inest in definitione animalis.) Contrà à particularibus ad universalia progredi est obscurare ea, quæ vis illustrare: est minùs facile docere. (Facilius enim singula contemplabimur, ait Aristot. si primum de universalibus sumpserimus:) Est ταῦτολον: ideoq; memoriā obruere, nempe multitudine & cōfusione rerum repetitarum. Manifestum est, ait Aristoteles, quod particula- Propositiōnē. tim dicentes de multis dicemus sāpē eadem. 1. & 4. cap. lib. de partib; Idem: Necesse est, ait, aut universalia prius bus, dicere, aut sāpiūs idem repeterē. Assumo.

Sed

Assumpt.

Sed non est idem s^æpius repetendum. Etenim sophisticum hoc fuerit tautologiæ vitiū. Ergo prius necesse est universalia dicere. Sic in fœdum *παυτολογίας* vitium incurruunt, qui in Grammatica figuram communem vocum affectionem non docent ante nomen, quæ species vocis est: coguntur enim in Nominе, Verbo, Adverbio s^æpius dicere, quod in universalī & generali semel dictum, satis superq; in omnibus specialibus fuisset. At enim, inquis, loquamur de universalibus in causando ut principiis. Hæc nobis sunt tenebræ, ut Sol natura lucidissimus, nobis, cùm aspexerimus, obscurissimus est. Ab iis igitur non est incipiendum. Respondeo. Monstra igitur, vel unum ex omnibus physiologis, qui physicam orsus sit à principiatis, & ab his descendenter ad principia. Sed ad rem. 1. Etsi facilius effecta quām causas novimus, & causæ sunt cognitu difficultimæ: Postquam tamen causarum cognitionem assecuti sumus, notiores nobis sunt causæ quām effecta, cùm effecta per causas demonstremus. Principia igitur nobis liberaliter & ingenuè institutis, quales debent esse præceptores, non sunt tenebræ, sed notiora sunt nobis, postquam in notitiam eorū pervenimus. 2. Unde res primò habet, ut sit, inde primum quoq; habet, ut cognoscatur. Res primò habet, ut sit à principiis.

Obiect.**Solutio.**

piis. Ergo ex iis primū cognoscitur, modò acie humanae mentis per vestigari, & è latibus erui possint.

P R O B L E M A XXIII.

An ordo sit à compositis ad simplicia.

Aristoteles i. Politicorum tradit præcepit: Omne concretum seu compositum resolvendum ac dividendum tamdiu esse, donec ad individua, seu simplicissima perveniatur elementa. Verba ejus sunt: Quemadmodum in aliis rebus compositum ad simplicia usque & compositionis expertia dividere necesse est: Hæ enim sunt totius particulæ minimæ: Sic & quibus ex partibus constet civitas, videamus. Ergo inferat aliquis: Omnis ordo est à composito seu toto ad simplicissima. Sic ordo politicus est à civitate ad partes & particulæ ejus. Resp. Nego consecutionē. Etsi enim Arist. in pol. doceat ad cognoscendum compositum necesse esse ut ipsum dividatur ad primas usque & minutissimas partes: tamen vult ibidem à partibus minutissimis considerationem seu tractationem esse incipiendam. Ut qui vult cognoscere orationem, dividit eam in dictiones, & has in syllabas, & has in literas: Incipit autem tractare & considerare primò de his quæ & quales sint, quomodo differant, quomodo

modo in compositionem veniant. Sic cum civitas sit quoddam compositum ex multis pagis, pagus ex multis domibus, domus ex multis personis, ut domino & servo, marito & uxore, patre & filio, incoatur politica à partibus domus, in quas ut prima componentia ultimò resolvitur civitas. Hanc & non aliam esse sententiam Aristotelis patet ex eo quod statim cap. 2. post civitatis materiam ipsam primam scilicet societatem domesticam generatim præponit, & ait: Si quis à principio res orientes ac nascentes inspicerit, quemadmodum in aliis, sic & in his, hoc modo optinè rei veritatem perspicerit. Et cap. 3. Quoniam primum quodq; in unaquaq; re explicanda vel in minimis quærendum est, ab illisq; initium ducendum: Primum autem & minimæ partes sunt dominus & servus, vir & uxor, pater & liberi: de his tribus quid & quale unumquodq; esse debeat considerandum videtur. Deinde claret ex eo, quod Arist. pol. pertractans de fundamentis universalibus, quæ cognoscere necesse est antequam descendatur ad specificam considerationem de Republica, agit primum de dominis partibus, domino, servo, viro, uxore, patre, filio: Nam cum dominus & servus, vir & uxor, pater & filius constituant unam domum, plures domus constituant pagum, plures pagi (quæos)

(quos vicos seu vicinias vocare solemus) ci-
vitatem seu Rempublicam, de hac doctrina
tradi non potest ignoratis præmissis. Hoc
autem est progredi à partibus ad totum per
partes cōsideratum, à simplicioribus ad com-
positum. Si à civitatis seu Reipublicæ formis
ac differentiis inciperet Aristoteles, ac trans-
iret hinc ad partes, tum utiq; iter à toto ad
partes, à composito per species considerato
ad simplicissima, ut si physicus primò doce-
ret species compositorum naturalium, qui
ordo artificiosus non est, & postea subjunge-
ret doctrinam de elementis ut primis com-

ponentibus. 2. Resolvere compositum ge- Divisio totius
us in partes,
& harum in
particulas,
non est orde
natus, sed
ad composite
ad simplicia,
neratim consideratum in simplicia non est
ordo à composito ad simplicia. Grammati-
cus, ut antè monui, voces resolvit, dividit in
literas & syllabas, sed ita ut prius explicit
doctrinam literarum & syllabarum, quām
vocum communes affectiones & species. Ita
progreditur à simplicioribus ad composita.
Si primū ageret de vocum accidentibus &
speciebus, & deinde de partibus, literis & syl-
labis, tum progrederetur à cōpositis ad sim-
plicia. Sed non recte. Talis enim ordo non
est ordo, sed *anæstia* & ordinis inversio. 3. In-
cipere à definitione totius, & postea id partiū
non est progredi à toto ad partes, à compo-
sito ad simplicia. Civitatis vocem quoddam
totum

totum esse, non nego. Sed ajo interim tunc tractari totū, cùm partes, affectiones, species ejus tractantur. Totum hoc incipitur tractari definitione, ac producitur eius tractatio partium & specierum explicatione. At absoluta est ejus tractatio, cum nihil quod ad naturam ejus pertinet, reliqui est. 4. Largior Analyticum ordinē procedere à composito ad simplicia, si per compositū illigas finem, qui tanquam totum omnia ad eum destinata complectitur: ut finis Reipublicæ benè beatęq; vivere, continet *suváμ* seu virtute rectas sanctasq; leges. Sed finem dicere compositum, improprietate non caret.

PROBLEMA XXIV.

An sit quidam ordo Analyticus à toto ad partes?

Disciplina quidem contemplativa simul atq; definita est, incipit à definitione totius: Sed hic ordo est compositivus, & totum hīc *καθόλος* seu prædicabile dicitur, estque subjectum generale disciplinæ adæquatum, ut in physicis corpus naturale, cui subjicitur species huius. Hæc igitur est progressio à generalibus ad specialia. In disciplinis vero effectivis vel activis progressio fit à notatione finis, quā is finis est, non quā totum est. Methodus deniq; resolutiva (quam ab ordine distinguo) à toto cōfusè procedit ad ipsi venie-

venienda principia. Verum duo hic opponuntur: 1. A mundo toto transimus ad tractationem partium seu simplicium corporum, quibus constat, integrum enim semper est suis partibus manifestius. Ergo ordo compositus procedit etiam ab integro ad membra. Resp: ad antecedens. 1. A mundo initium suum non potest tractationis, ita ut prius cognoscatur quam cognoscantur ejus partes. Mundus autem nihil aliud est quam collectio naturarum omnium corporearum optimo ordine dispositarum, seu quinque simplicia corpora sic ordinata. Perfecta igitur cognitione ejus in singularum partium cognitione consistit. Quare eas cognoscere est ipsum mundum cognoscere. Sic in omnium partium animalis distincta cognitione consistit etiam perfecta cognitione totius animalis. A partiū igitur animalis integrantium seu secundum quantitatem acceptarum tractatione nulla tractatio totius (animalis) se juncta esse possit, quia hoc totū est partium animalis collectio. 2. Facilius quidem integrum quoquā modo cognosci potest, quam in omnia membra, ex quibus constat, dissolvi. Integrum igitur semper est suis partibus manifestius notitia confusa, indistincta, imperfecta. At integrum cognitione distincta nunquam cognoscitur antequā divisum sit in partes. Quia

resi ignoratis partibus essentialibus, (quae sunt interna principia) prius de integro agamus, tantum nudam & confusam eius notitiam habere possimus, cum essentiam ignorremus & accidentia quæ hanc consequuntur. Itaque harum partium tractationi totius tractatio non est postponenda. 2. In ædificatoria arte transimus à definitione domus, quæ totum est, ad partes domus. Ergo resolutivus ordo non est uniusmodi seu unius generis. Resp. Neg. consecutionem. In Architectura enim initium sumitur à domo, non quatenus est totum corporeum, sed quatenus est finis. Estigitur hic ordo à natione finis. Quod finis à quo exordimur, totum est accidentarium quid seu accessorium.

PROBLEMA XXV.

An omne id, unde alius essentia dependet, sit ejusdem disciplinæ cum dependente.

Non semper incipiendum esse à prioribus natura & absolute notioribus, nec omne id unde alius essentia dependet esse ejusdem disciplinæ cum dependente, Zabarella non improbabiliter afferit. Primum enim qui discunt, non servant naturæ rerum ordinem, sed tantum à facilioribus ad difficultiora progrediuntur. Primo enim dant operam

Nam cognitioni verborum, deinde rerum.
 Primo discunt logicam, deinde Mathesin:
 mox Physicen, deinde Metaphysicen, qui or-
 do neutrum naturae ordinem omnino imita-
 tur. Res enim Mathematicae neque genera-
 tione & origine, neq; intentione & perfecti-
 one primae sunt, sed videntur res Metaphy-
 sicæ seu divinæ utroq; modo esse primæ, quia
 tum ut effectrices, tum ut finales causæ ad a-
 lias res omnes referuntur. Deinde non sequi-
 tur: à dependentia essentiæ ad dependentem
 notitiam: Physicæ res pendent à supernatu-
 ralibus caussis: Ergo physicæ res auspicandæ
 à supernaturalibus. Hæ enim sunt extra ge-
 nus subjectum (ut loquuntur) & transcen-
 dunt limites physicæ. Non igitur necessaria
 est earum distincta cognitio ad habendam
 rerum naturalium scientiam, in suo genere
 perfectam. A Physicis igitur ad Metaphysicæ
 in discendo progredi possumus: Sic Deus
 essentia immobilis prior quidem est natura,
 absoluteq; notior substatiis corporeis, sed ut
 à nobis distinetè est cognoscendus, in Meta-
 physicis traditur post cognitionem rerū na-
 turalium, quæ physicæ est propria. Unde in-
 telligitur, non esse eundem ordinem in rebus
 quo sunt, & quo nobis cognoscendæ propo-
 nuntur.

PROBLEMA XXVI.

An in omni ordine spectetur Trias seu ternio.

Affirmatur.

Hoc commune & essentiale est omni ordini, ut sit ab extremo per intermedia ad extremum, ideoque spectetur in eo initium, progressio, meta. Itaque ordo dicitur esse variorum seu multorum enunciatorum. Loquor autem de universalis ordine qui integrum est corporis. (Nam si partem species, or-

Semper inter ordinata
datur unum prius altero.

Vbicunque datur ordo,
ibi dantur diversa.

Universam, & omnia in eo, principio, medio, & fine, perficiuntur.

do tantum inter duo esse potest, quorum alterum prius, alterum posterior est. Ac omnino nullus ordo est ejusdem ad seipsum.) Dicitur enim ordo hic imitatur naturam. Omnes res naturae principio, medio & fine sunt determinatae. Hinc antiquitas adducta fuit, ut Numen coleret in ceremoniis seu sacrificiis die missarum, teste Aristotele in lib. de cœlo. Ubi (ut hoc addam εν τριθειαν) per Trinitatem, quam Petronius ternionem, Argyropilus trinitatem vertit, non intellexit philosophus summam Trinitatem, Patrem, Filium & Spiritum S. De illa enim nunquam vel per somnum cogitavit: Sed naturam ideam & formam communem ternarii numeri, quam omnia participant. Atticulus enim, ob quem quidam magno errore putavit, Deum Trinum eo loco significari, non semper significat, quod sumimum & principium est, sed aliquando et-

do etiam formam & rationem, absq; particu-
latibus conditionibus, in qua singularia mul-
ta conveniunt : ut cùm dico, ὁ ἄνθρωπος est
animal rationale, non loquor de hoc vel il-
lo singulari homine, sed natura & forma
communi, quæ definitur, & quem Aristote-
les, Plato & alia humana individua partici-
pant, Sic Aristoteles ait, τὸ άγαθὸν est quod
omnia expertunt, intelligens non summum
bonum, sed bonum in genere. Sed quid ego
nunc hæc περέγραψ, & loco non suo, extra ole-
as, quod ajunt, vagatus ?

P R O B L E M A XXVII.

*An ordo universalis rectè dicatur Divisio seu διαίρεσις,
πάκτος, id est, Divisivus, an compositio seu
compositivus, &c.*

Variè accipiuntur à doctis vocabula com-
positionis, divisionis, analyseos: Quo sit
ut ordinem physiologiarum, verbij causa, ali-
us vocet compositionem seu compositivum,
alius analyticū, alius divisivum. Compositivū
seu compositionem quidem, quia ab initiis
ad effecta progreditur, imitans naturam, quæ
ita res instituit & producit. Analyticum ve-
rò seu analysin, & divisivum seu διαίρεσιν, quia
incipiendo à summo physicus dividit quæ-
cunq; occurrunt per differentias quoad de-
scensu perveniat ad species atomas. Hic in
G 3 verbis

verbis est discrepantia, in re nulla. Galenus & alii, ut Platonici, compositionem (quam divisioni seu divisionis descensui opponunt,) vocant, cum (contrà quām in divisione) incipiendo à formis postremis seu speciebus atomis, colligendisque omnibus differentiis ad summum genus usq; ascendimus. Talis compositio seu *ordines* non est ordo quo disciplinæ disponuntur & describuntur, sed investigantur & quadantenus inveniuntur.

PROBLEMA XXVIII.

An Methodus artificiosa & naturalis res cognoscendi sit una & eadem.

Negatur.

OMnis methodus cognitionis est iter seu progressio à notis ad ignota: Estq; naturalis vel artificiosa, et si artificiosa quoque naturalis dicatur hoc sensu, quod imitatrix est naturæ. Methodo naturali ante omnia, singularia & individua cognoscimus, quæ in sensum incurruunt, ex iis enim intelligentiæ ideas colligimus & notiones, quas vocant Universalia. Ac in hac via à contractioribus ascendimus ad magis communia: quia vis intelligendi à formis, quæ individuis sunt viciniores, parit notiones latius patentes & ampliores, donec in supremis, quæ omnium latissimæ amplissimæq; sunt, terminentur.

Sed

Singularia
quæ sensus
movent, pri-
mum sunt
cognitum,
seu prius no-
ta sunt con-
fusa cogniti-
one.

Sed hic non est ignorandum, eam esse facultatis cognoscentis imbecillitatem , ut ipsa quoq; effecta sensilia seu individua, quæ sub sensum cadunt, primo occursu imperfectè ad modum intelligat, hoc est, confusè, parumq; distinctè, sub conceptu communiore: Quo fit, ut pueri soleant viros , quotquot viderint, patres vocare (i.ca.i. phys. Aristotelis.) Quare ipsis etiam singularibus cognoscendis imperfecta & confusa notitia distinctam, propriam & exquisitam antecedit: sicut prius cognovimus (confusè) equum ut corpus, quam ut animal, & prius ut animal quam ut equum à bove & asino distinctū. Facilius enim ea quæ multis communia sunt inspicimus & cognoscimus, quam quæ singulorū sunt propria, ut ait Zabarella. Hęc Methodus prior est, quam artificiosa : quia natura prius extitit , quam ars. In methodo artificiosa spectatur : vel inventio ignotorum & opertorum: vel traditio apertorū & notorū. Cùm res, quæ latet ignotaq; est, invenienda est, effecta & signa priorē notitiæ & certitudinis locum sibi vendicant: quia propemodum semper evidentius nobis patent. Itaq; ex signis & effectis (quæ nobis confusè notiora sunt) fit demonstratio. Sic medicus ex signis, rigore, calore, motu arteriæ judicat corpus laborare febri. Cùm veroles quæ aperta notaque sunt docere, quod

maximè fit per definitiones & distributio-
nes, librosq; vera ratione componere: com-
muniora, & quæ latius patent omnibus aliis,
quæ sub se habent, & potestate continent,
antepones, sive definias, sive distribuas. Sunt
enim nobis notiora notitia distincta, pro-
pria, perfectaq;. Et hæc methodus, seu hoc
iter Ordo dicitur.

PROBLEMA XXIX.

An semper evanulos doctrinam incipiat à facilitoribus?

Distinguitur.

Sententia Zabarellæ est semper in ordine
attendi doctrinæ facilitatem, dummodo
perfectæ in eo genere cognitionis necessi-
tas contrarium non urgeat. Hac enim ur-
gente servari ordinem doctrinæ perfectio-
ris. Hanc regulam cum exceptione (quam
tamen, exceptionem dico, alicubi omittit)
approbo. Ut enim lex inferior cedit supe-
riori: sic facilior cognitione cedit perfectiori.
Quare si perfectio doctrinæ aliter teneri ne-
quit, difficiliora etiam facilitoribus sunt præ-
ponenda, & tamen difficiliora illa talia seu ita
cōparata esse debent, ut conferant ad sequen-
tium, quæ ex iis dependent, cognitionē. Sed
recte quoq; sine exceptione pronunciatur:
Semper progrediendum à facilitoribus, si ac-
cipias faciliora nō secundum seū absolutè
et forte

& formaliter, sed respectivè & effectivè, ut
sententia sit, semper ordiendum à faciliori-
bus, id est, iis, quorum cognitio ducere nos
potest facilius in aliorum notitiam. Sic gene-
ralia sunt facilitiora, quia doctrina generalium
(præterquam quod potest intelligi sine in-
telligentia proprii, singularis, specialis) faci-
lius nos in notitiam specialium, priorum,
singularium, dñducere potest. Cognitio Dei,
in Theologia ordine doctrinæ prior quam
hominis, per se difficultis est : facilior tamen
est & dicitur, quatenus in nostri cognitionem
facilius nos perducit. Nec tamen hoc diffi-
cilio: 1. Simplicius & intelligentius esse dice-
re : ἐν τακτού doctrinam incipere à notioribus,
& desinere in obscurioribus. Notiora autem
esse hic, non quæ facilius percipiuntur, sed
quæ percepta intellectaq; plurimum solidæ
cognitionis afferunt : Obscuriora vero esse,
non quæ difficilius percipiuntur, sed quæ
percepta intellectaq; singula parum lucis ac
scientiæ præbent. 2. Ea quæ propriè faciliora
sunt, & notiora sæpe concurrere, & qui-
dem hinc maximam existere perspicuitatem.
Talis est ordo præceptorū Geometriæ. Hæc
ex initiis exiguis, perfacilibus & notissimis,
progreditur ad theorematā difficiliora, & pri-
mo aspectu ab omni sensu humano & intel-
lectu remota, & expositis ac concessis prin-

cipiis suis propositiones suas confirmat: primum definitionibus vocabula scientię explicat, ne nominum ambiguitas aut obscuritas intelligentiam impedit. Deinde adhibet postulata, ut ad conclusionum suarum demonstrationem pervenire possit. Illa tam clara & perspicua sunt, ut nullius indigeant confirmationis, sed auditoris tantum assensum postulent, ne ulla sit in ~~suo~~ ~~se~~ hæsitatio aut difficultas. 3. Utitur axiomatis seu communibus sententiis, quæ ita manifestæ sunt, & evidentes, ut ab iis nulla ratione dissentire possit, qui ipsa vocabula rectè perceperit. Hæc igitur præmittit Geometres suarum conclusio-
num demonstrationibus, ut ex ipsis, quæ quidem facile à quovis intelliguntur, propositiones suas jucundissimas & utilissimas deducat, quibus nemo facilè assentiret, nisi certa & evidente ratione confirmarentur. Idem principia toti Geometriæ communia priori loco docet: Posteriore verò, quæ propriè & peculiari quadam ratione ad materiam illorum subjectam spectant: Quod est progredi ab universalibus ad particularia.

PROBLEMA XXX.

An ordo seu siédeos artificiosa sit à notiorib. natura?
Nego.

Difficiliora sunt, quæ hīc dispu-to. Itaque ex æquo & bono ea perpendi cupio. Javellus

vellus & alii τῇ φύσει γνώσιμον verterunt natu-
ræ notum. Verūm non tam meo quād do-
ctissimorum quorumque judicio malè. Ut e-
nim χρόνῳ, αὐτίᾳ καὶ φύσει περὶ τοῦ est tempore,
causa & natura prius : Sic & φύσει notum est
natura notum, præsertim cùm natura, ut ἀλο-
γον, non sit rerum cognitrix, disceptatrix & ju-
dex, & τῇ αὐτίᾳ alibi ut s. Metaph. dicatur τοῦ τοῦ
τοῦ φύσιν, id est, secundum naturam, & doctrina
ordoq; & methodus doctrinæ à nobis &
propter nos fiat. Φύσιν etiam in his disputatio-
nibus Deum interpretari ineptum est, quod
vel hinc patet, quod pro τῇ φύσει interdum ἀ-
πλῶς, id est simpliciter ab Aristotele dicitur.
Τῇ φύσει igitur notiora dicuntur, non quia ea
Deus vel natura intelligat, aut si natura intel-
ligeret, inde notiora auspicaretur, cuius sen-
tentiæ quidā è veteribus fuerunt, sed quia na-
tura sua, sua vi, sponte & perse ipsa notiora
sunt vel esse debuerat, nisi nostræ mentis im-
becillitas obstaret. Seu τῇ φύσει notum est, vel
quod suapte natura seu ex se est cognoscibile,
(liceat mihi nunc hac voce uti) sive nos actu
intelligamus, sive non, vel quod potest co-
gnosci sine alio, hoc autem sine illo cognosci
non potest. A talibus, modò etiam nobis no-
tiora sint, ordo doctrinæ incipit : à causis igi-
tur incipit, à quibus dependet effecta : et si in-
vestigentur causæ ex effectis : qua ratione ab
effectis

effectis in cognitionem causarum venimus, quod jam methodi est, non ordinis. Sed objecticas fortassis, & non immeritè: Notius Aristotelii duplex est: Notum $\eta\mu\pi$ & $\tau\eta\phi\omega\tau\epsilon\iota$. In priori membro dandi casus est Nobis, ergo $\tau\eta\phi\omega\tau\epsilon\iota$ eodem casu explicandū, ut sit natura, non natura: alioquin divisio logica non fuit, sed inepta & ridicula: Cùm priore membro dicatur, Cui: posteriore, Quo modo, Resp. Sic quidem sunt, qui judicent: Sed nos candidius illam Aristotelis distributionē interpretamur ex i. post. cap. 2. 6. Top. cap. 3. & aliis. Alia sunt notiora nobis, seu quoad nos, $\tau\omega\tau\epsilon\iota\eta\mu\pi\alpha\sigma$, id est, respectu nostri, seu habitatione captus nostri, id est nobis tātūm: nobis inquam in statu imperfectionis constitutis & ordinem servantibus nature contrarium: nobis, id est, nostrae imbecillitati: nobis scilicet rudibus & rerum imperitis: nobis, qui ministerio sensuum utimur, quibus $\alpha\kappa\epsilon\tau\iota\omega\tau\epsilon\iota$ seu familiare est primū cognoscere per sensum, seu quorum intelligentia à sensu originem ducit. Easunt quæ ad sensum proprius accedunt, ut singularia sensilia, nempe effecta cōpositaq;, nobis tantūm notiora sunt causis, non naturaliter, absolutè, simpliciter. Aliæ sunt notiora natura, id est simpliciter, seu absolutè & per se ipsa, seposito respectu infinitatis nostræ: non nobis ut ordini naturæ adver-

adversantibus, sed nobis ut ordinem naturæ servantibus, seu naturam imitantibus, & res cognoscentibus eo modo quo sunt cognoscendæ. Natura id est, non omnibus, sed nobis animo benè constitutis, nobis mente benè compositis seu benè noscentibus. Sic notiora sunt universalia quæ remotiora sunt à sensu, nempe causæ communes. Etsi enim non sunt nota omnibus, sunt tamen nota illis, quorum mens & intelligentia benè conformata & constituta est: sic enim simpliciter & absolute salubre esse dicimus quod tale habetur iis, quorum corpus benè affectum est. Hinc collige 1. & nobis & natura respectum aliquem significare, itaq; distinctionis membra benè congruere. 2. non eadem esse notiora nobis diversis temporibus. Initio enim ea quæ sub sensum cadunt sunt notiora nobis ut imperitoribus. Deinde ubi actiori & firmiore iudicio prædicti sumus, notiora sunt nobis ea quæ sub intelligentiam cadunt, id est eadem eo tempore, quo maturore ingenio sumus, sunt & nobis & natura notiora prioraq;. Sic genus est speciebus notius & nobis & natura, id est, naturaliter & secundum modum nostrum cognoscendi. Sic mathematica sunt & nobis & natura notiora, quia partim mente, partim sensu percipiuntur: nam ut sine sensibus comprehendi non possunt, sic sine intel-
ligentia.

Demonstra-
tiones diān-
sunt ex noti-
oribus nobis
& natura.

ligentia demonstrari nequeunt. Mathemati-
cus igitur pingens circulum ostendit in eo o-
mnes lineas à centro eductas ad circumferē-
tiam esse æquales. Mox arripit cōmune pro-
nunciatum , ex quo deinde fert sententiā ad-
hibita demonstrationis regula de aliis parti-
cularibus circulis. Sic axioma totum est ma-
jus qualibet sua parte, est nobis & natura no-
tius. Sed agè partitionem illam & explicatio-
nen notioris pluribus exemplis illustremus.
Causa effecto notior & illustrior est natura,
quia cognitionis fons est, & quidem illustrior
est secundum distinctam nostram cognitio-
nen. Effectus verò ut res naturales sunt igno-
tiores natura, & cognitu difficiliores cùm cō-
positi sint , & cognitione distincta per causas
iūas & principia propria cognoscantur : faci-
liores autē cognitu sunt cognitione confusa
seu simplici, qua à nobis tota res primū co-
gnoscitur. Et causa & effectum sunt notiora
nobis, effectum confusè, causa distinctè, & ut
per effectum confusam causæ cognitionem
adipiscimur , sic per causam ad distinctam ef-
fecti cognitionem pervenimus. Principia no-
bis sunt ignotiora , ut in statu imperfectionis
& ignorantiae cōstitutis: Sunt verò nobis no-
tiora, ut naturam ejusq; perfectionē imitan-
tibus in rerum cognitione peruestigāda, hoc
est , res cognoscentibus eo modo quo sunt
cogno-

cognoscendæ, seu nobis benè constitutis & affectis animo. Genus est nobis notius respe-
ctu universalium causarū, quia citius se nobis
offert, quippe sensui propinquius, ut quod e-
minus movetur, prius cognoscimus animal
esse, deinde hominem. Genus enim ut totum
quoddam indistinctum & nobis prius occur-
rens, nobis notius est, quod docet quoq; Re-
gula optica. Generales visibilis species citius
videntur singularibus. Universales verò cau-
sæ, quia sensum fugiunt, sunt nobis ignotæ:
quæ suapte natura dicuntur priores & notio-
res cōpositis seu effectis suis. At inquis: Ge-
nus est totum *vōntōv*: non igitur *a'āntōv*. Con-
cedo equidem ita, ut affirmē, Genus esse to-
tum *vōntōv*, respectu suorum singularium: esse
εἰδύτερον τῆς αὐθότερως, id est, sensui propinqu-
us quam universalē causam: Item esse *vōntōv*,
ut distinctè percipitur, esse verò *a'āntōv*, ut
confusè. Et considerentur sequentes tabellæ;

Rebus perci-
piendis ge-
nerales noti-
ones in pri-
mis in sensus
incurrunt,

Sensui proxima, id est, sub sensum cadunt,
Singularia, individua, sensilia: Nobis no-
tiore.

Sensui propinqua seu propria. Effecta com-
posita qua generum & specierum rationem
habent. Itaq; sunt universalia in prædican-
do. Notiora nobis, respectu universalium
causarum.

Remotiora à sensu. Universalia in causa-
do, id est, magis communes, causæ: qua-
rum sunt gradus: Notiora natuṛā.

Quæ cogno-
scuntur sunt

Vide poste-
rior. analy-
sis Aristotelis,

Natura

sensui { A sensu {	Proxima : tā εγύστατω της αἰδήσεως, id est sensilia, individua, ut: <i>Hoc corpus naturale.</i> Propinqua : Universale, ut effecta composita, quæ generum & specie- rum rationem habent: ut <i>corpus naturale.</i> Remota : Magis universale: ut Ele- menta, Materia. Remotissimæ : Maxime universalia Communissimæ omnium rerum causæ, ut finis ultimus: agens pri- mum, (id est, Deus.) <i>Nobis.</i>
---------------------------------	--

Notiora { Natura seu absolute.

Natura & nobis simul: ut in mathema-
 ticis principia tam nobis ipsis quam sua natura sunt
 nota. Verum quod nobis nota sunt non habent sua
 natura, sed quia principia ipsa & causæ in tabella
 vel pulvere describuntur, & cum ita in sensum incur-
 rant, sic nobis fiunt notiora.

Obiect.

Videtur cruciatus hic discendi cupidis pro-
 positus esse: Dicis principia seu causas uni-
 versales esse notas natura: Sed philosopho-
 rum chorus non raro ita loquitur, ut dicat:
 Tales causas esse naturaliter seu secundum
 naturam ignotas. Principiorum enim alia
 facit τὰ φύσιν nota, ut sensilia: alia τὰ φύσιν
 ignota, ut insensilia. Resp. Non dissimulo,
 non parum difficultatis hic dissentibus obo-
 riri ex ignorantia figuræ dictionis, seu am-
 biguitate φεγγών, Secundum naturam. Itaq;
 etiam

Solutio ex
explicatione
figuræ.
Aegaeus.

etiam atq; etiam sequens distinctio consideranda fuerit. Secundum naturam notum vel ignotum dicitur & accipitur dupliciter: Primo secundum naturam notum vel ignotum dicitur, quod ex se cognosci potest vel non cognosci potest, quod simpliciter & suapte natura notum est vel ignotum, citra considerationem conditionis & naturæ nostræ, qui cognoscimus, seu sine respectu virium humani ingenii. Sic omnes causæ, omnia principia, sive sensilia sint sive insensilia, sunt absolute, seu secundum naturam nota, sive nos cognoscamus ea actu, sive non: non pendent ab alio (ut ab effecto) neq; ut sint, neq; ut cognoscantur. Sic effectus ignoti sunt naturaliter seu secundum naturam, quia à causis pendent ut sint & cognoscantur. Sic genera (ut angelus) secundum naturam nota sunt respectu specierum suarum, quippe quæ natura sunt ignotæ. Secundo: Notum vel ignotum secundum naturam dicitur, quod notum vel ignotum est secundum naturam nostram, qui cognoscimus, seu respectu conditionis humani ingenii, cuius cognitio à sensu incipit. Sic notum secundum naturam dicitur, quod per se notum est, ut non innoteat seu demonstretur per aliud: quod sensu cognosci potest simpliciter, vel secundum quid, id est, in suis singularibus: quod sola inductione cognoscitur seu

declaratur. Ignotum verò secundum naturam dicitur, quod per se ignotum cognoscitur ab alio, seu ex alio: quod sensu cognosci non potest, ideoq; demonstratur à signo. Sic secundum naturam notæ sunt catusæ aliquæ, quia sensiles sunt. Ignotæ etiam aliquæ, quia insensiles sunt. Materia prima, principium, quia per se, id est, propria luce non claret, seu proprio lumine non innescit, (non enim cadit sub sensum) sed per alterius lumen, ut per effectum naturalem, generationem, nota redditur: idcirco dicitur ignota secundum naturam, seu naturaliter ignotum principiū. Cato singulare est: Notus igitur secundū naturam. Homo universale est, & secundū quid sensibilis, népe quatentis singuli homines sensiles sunt. Notus igitur secundum naturā. Sic Ecclesia seu electa concio visibilis est in membris suis: Nota igitur secundū naturam. Hac enunciatio: Homo est bipes, nota est secundum naturā, quia proprio lumine cognoscitur, ut non egeat alia re notiore, per quam demonstretur. Ac dicitur sensibilis *ergo n.*, quia quocūq; homine singulari oblatō, illicē sensus cognoscit, eum esse bipedem. Angelus in singularibus suis est insensibilis: (Gabriel enim qua spiritus, non videtur:) Est igitur ignotus secundū naturam. Ex dictis emergit talis objectio: Quod innescit ex alio, ignotum est secun-

secundum naturā. Universale illud, quod inductione cognoscitur, innoteſcit ex alio: Ergo universale, quod inductione cognoscitur, est ignotum secundū naturam. Sed huic object. oppono hanc: Quicquid est indemonstrabile, ex alio, seu per aliud, non innoteſcit. Universale quod inductione cognoscitur, est indemonstrabile, quia non probatur per ipsa aliud. Ergo universale, quod inductione cognoscitur, non innoteſcit ex alio, sed per aliud. In priori igitur objectione neganda est minor cum Zabarella. Quod inductione cognoscitur, propriè loquendo, non innoteſcit, seu probatur, seu demonstratur ex alio, seu per aliud. Inductio enim est processus ab eodem ad idem. Ab eodem quidem ea ratione, qua evidentius est, ad idem, ea ratione qua obscurius est: id est, à singularium collectione ad universale. Etenim singulare ut sensile est notius: Universale, quod in singularibus suis notum esse secundum naturam diximus, simpliciter consideratum: ut universale, ignotius est secundum naturam. Et inductio est perfecta collectio singularium explicata sive intellecta. Universale autem à singularibus non differt reipsa, sed ratione tantum, sicut partes simul sumptae rem idem sunt cum toto. Inductio igitur non probat rem per aliam omnino rem, quod pro-

Obiect.

Solutio.

priè probare est, sed modo quodam rem per seipam declarat. Sed, inquis, quid audio? Negas demonstrari & probari per inductionem? Annón ipse Aristoteles, & doctissimi eius interpres, docent, principia per inductionem probari & confirmari? Resp. Verum hoc agnosco: Dabo igitur non tantum declarari, sed approbari etiam & confirmari per inductionem quædam principia, nempe naturaliter nota, et si $\tau\alpha\tau^{\circ}\delta\xi\omega\chi\lambda\omega$ confirmation & probatio conveniat principiis naturaliter ignotis: quò respexit Zabarella, qui etiam inductionem vocat levem probationem. At nihilominus inductione demonstrari, probari, & confirmari, est non per aliud, sed per ipsum demonstrari, probari, confirmari. Ut enim quædam primo aspectu non videntur, quæ postea, cùm oculorum aciem intendimus, intuentibus fiunt nota, non per alitd, sed per seipsa: Sic quædam primo mentis intuitu non percipiuntur, quæ postea accurate ipsorum consideratione apprehensa innotescunt, non per aliud, sed per seipsa. Sed pergis contradicere: Si inducere est procedere ab eodem ad idem, non est à noto adignotum procedere, & ita Inducere est sophisticè $\tau\alpha\tau\omega\lambda\omega\eta\epsilon\gamma\iota\pi$, hoc est, nugari. Hanc consecutionem nego: Nam idem potest esse eodem notius & ignotius, alio atq; alio modo.

Sic

Sic singulare est genere notius συγχρένως, id est, confusè: Genus singulari distinctè: Effectus notior est causa cognitione cōfusa. Causa est notior effectu cognitione distincta. Definitio & definitū re ipsa sunt ταῦτα, seu idem: Differunt tantum ratione. Idem hīc eodem notius diverso modo. Nec definitum seu nomen explicare per definitionem est nugari, & sophistarum more ταυτολογεῖν. Nomen enim seu definitū est definitione notius cognitione implicita & confusa (per quam confusam rei cognitionem nanciscimur) id est, οἷςδε, seu nomen totum quoddam confusè, & non distinctè significat, quod totum definitio in partes suas distinguit, particulatimq; proponit. Itaq; definitio est notior definito cognitione explicata & distincta, (per quam ad distinctam rei cognitionem pervenimus. Non dum ac- obiect. quiescis: Inductio est progressus θεωρητικὸς à posterioribus ad priora. Quo modo igitur ab eodem ad idem? Antecedens probatur. Inductio est à singularibus ad universale. Singularia autem natura sunt posteriora universali. Universale est natura prius singularibus, quia habet rationem causæ. Sed hic quoque opponis, hanc probationem antecedentis nullam esse: eo, quod paulò ante dictum sit, quasdam causas esse secundum naturā ignotiores; unde certò sequitur, eas ipsas causas

Solutio.

esse secundum naturam posteriores, non priores. Hic iterum decurro ad distinctionem ejus quod secundum naturam notum vel ignotum est. Causæ quædam sunt notiores secundum secundam acceptationem. Omnes vero sunt notiores effectis, secundum primam: Seu adhibeo distinctionem cognitionis, que vel est Confusa, vel Distincta. Aliquæ causæ, nempe insensiles, sunt secundum naturam ignotæ, (& effectus noti) cognitione confusa, quæ in sensuum perceptione consistit. At omnes causæ sive sensiles sive insensiles sunt notæ secundum naturam (effectus ignoti) distincta cognitione. Sic universaliter, ut totum confusum, nobis seu sensu nostro notius est cognitione confusa, id est, confusè, & imperfectè cognoscitur, cum adhuc ignorentur partes. Cognitione vero distincta, non modo ut totum cognoscitur

An absolute verum sit: prius quam species, sed etiam ut pars essentiales specierum. Poterò objicis: Aristotelem

Non idem notius nobis & natura. in Ethicis dicere: Non eadem esse nobis seu ad nos, & natura notiora. Falso igitur à nobis asseri: Quædam esse nobis & natura simul notiora. Respondebat Zabarella: Antecedens seu pronunciatum Aristotelis non esse semper seu absolute & universè verum: quod multæ sint causæ notiores natura, ordine perfectionis, quam effecta (ut qualitates sensi-

sensiles, quām species quas in sensus nostros imprimunt) & tamen eadē causæ sint nobis notiores exactæ accuratæq; doctrinæ ordine. Dicuntur autem priora notiora q; natura ordine perfectionis seu intentionis, quæ magis intenduntur à natura. Sic perfectius est prius & notius minus perfecto. Sic effecta quædam sunt priora & notiora causis suis, ut totum vivens anima & corpore, scriptura stylo quo scribitur, species intelligibilis sensili, à quo ut instrumentario efficiēte gignitur. Sic minus universalia universalioribus, ut Cato homine, homo animali, animal corpori animato. Minus enim universalia sunt perfectiora (nempe continent universaliora, & aliquid amplius perfectionis habent) & magis sunt intenta à natura. Similiter universa civitas prior est domo una. At priora & notiora ordine generationis & originis sunt ea à quibus alia pendent. Sic partes sunt priores & notiores toto, ut imperfectius perfectiore, universaliora, ut causæ, minus universalibus. Ordine perfectionis seu scopi naturæ in homine prior est animus rationalis. Generationis verò vis vegetatrix. Homo enim primū stirpis, deinde bestiæ, tertio sua ipsius, id est, propria, (rationali) anima vivit. Notiora denique nobis dicuntur, à quibus per nos cognitis alia intelligentiam & claritatem acci-

piunt. Talia sunt communiora, è quibus minus communia facilius meliusve percipiuntur. Cæterum obiter & *παρέργως* (est enim physicæ potius speculationis) huc adjicio: aliquid etiam primum esse origine & perfectione simul, ut prima instrumenta facultatis, quibus haec utitur ad partium actiones, sunt spiritus, calor & temperatura, prima inquam & origine & perfectione, si spectentur actiones partium similarium, quia temperatura partium, ab instrumentis modo dictis adjuta, actiones similarium partium perficit. At secundum instrumentum est partium compositio. Quod si species actiones partium instrumentalium, tria illa organa prima quidem erunt merito originis & generationis: compositio vero partium congrua, secundarium. At eadem compositio (ut & unitas) meritò perfectionis primum erit instrumentū. Illa vero tria (species, calor, temperatura) secundaria. Sed quò provehor? Tempus est ut ad alia deveniam. Hoc tamen ante monendum videtur; Si in quædam ex dictis quæ cum difficultate nonnulla aut dubitatione conjuncta sunt, aliquis modestè inquirere velit me non graviter laturum, qui sciam: Compositarum & pacatarum collationum beneficio latam viam ad veritatem sterni.

An aliquid sit primum origine & perfectione singul.

Vide Micha
el. Gavasseti-
um de pra-
ludiis anato-
micois.

P R O B L E M A X X I .

INter λεπτολογίαν (subtiles de utilibus rebus disputationes) quale fuit antegressum, huic affinia sequentia quoq; duo numero:

P r i m u m : An omnis ordo procedat à notioribus nobis?

Respondeo.

Sicut communis est omnium demonstrationum conditio, ut sint ex notioribus nobis. Cùm enim omnis demonstratio instrumentum nostrum sit, factum nostri causa, ut nos sciamus: inutilis sit & nulla potius necesse est ea, quæ ex ignotioribus nobis extruitur. Sic & omnis ordo procedit à notioribus nobis ad ignotiora nobis: quia fit seu instituitur à nobis & propter nos, non propter naturam, ut diximus. Sed comparatio quatenus valeat, considerandū est. Demonstrationes quæ à causis ad effecta progressiuntur (hæc ex illis inferentes) sunt ex notis nobis & natura. Quæ ab effectis ad causas procedunt (has ex illis concludentes) sunt ex notioribus nobis tantum, seu ex notioribus nobis ordine contrario naturę utentibus. At omnis ordo est ex notioribus nobis, & natura, seu ex notioribus nobis servantibus ordinem naturæ. Sic incipimus à causis sive innoverint nobis per se ipsæ, sive ex

Ab illis notis naturæ quæ nobis nota sunt possunt enim esse notata,

H s effe-

euia quæ nobis ignota sunt) incipendum.

effectu, sive aliqua alia ratione. Præterea demonstratio procedit à nobis notioribus vel confusè vel distinctè, id est, vel ab effectis vel à causis. Effectus enim est notior causa cognitione confusa: causa est notior effecto cognitione distincta. Sed ordo tantum à notioribus nobis distinctè progreditur: ergo non nisi à causis ad effecta, ut ab igne ad fumum: Per effectum ad confusam causæ cognitionem, per causam ad distinctam effectus cognitionem pervenimus, &c.

PROBLEMA XXXII.

Secundum: An Nobis prius notius vé ita accipi possit, ut re non differat à priore notiore naturâ.

Respondeo.

NObis & natura in hac disputatione ita accipi possunt, ut non pellant se mutuò sed consentiant, conveniat, conspirent: & prima maximeq; communia etiam dicantur nobis notiora. Prius agendum est de animaliæ vegetantis facultate quam de sentientiis, quia ordiendum est à notioribus nobis seu primis cognitione nostra. Prima autem & communissimavis vegetatrix: seu quia ordinendum est à natura prioribus, seu à natura notioribus ac clarioribus, hoc est, ab iis quæ ad aliorum explicationem viam & aditum præbent: seu ex quorum cognitione sequentium

Quid natura prius in ordinis signifi-
cat.

tium cognitio dependet. Ordinur physicam à primis principiis, Grammaticam à literis. Cur? quia sic perfectam rerum naturalium & Grammaticarum cognitionē, quam quæsumus, assequimur. Et hoc sensu prima principia & literæ sunt notiora nobis illustriores. Eadem sunt natura priora & notiora, id est, sine iis cætera intelligi & explicari non possunt, ipsa commodè absq; consequenti-
 um doctrina, seu aliis nondum explicatis & intellectis, possunt explicari & intelligi. Ita prius notiusvē natura est nihil aliud, quam ratione ac via naturali perfectè intelligendi, seu nostro modo distinctè cognoscendi prius notiusvē. Quod si per natura prius in ordinis doctrina intelligas id quod natura prius ordinum vel præstantius est, non recipio tritum istud ut absolutè universèque verum; Naturā prius præcedat, naturā posterius sequatur. Si igitur quispiam sic objiciat: Ordinur physicam à principiis, & Ethicam à definitione felicitatis, quæ nobis sunt ignota. Ergo non omnis ordo est à notioribus nobis. Respon-
 dendū est per distinctionem: 1. Principia sunt ignota nobis cognitione *κατὰ αὐθούσιν*, at sunt nota nobis cognitione *κατὰ λόγον*: ordo autem est à notioribus secundum rationem: ex defini-
 tione: Nota & notiora nobis hīc dicē, sine quorum cognitione non possumus alio-
 rum

Quo sensu
Methodus
naturalis di-
catur, & quo
non.

rum in eo genera perfectam scientiam consequi. Sic felicitas in Ethicis sensu hoc nobis notior est, quod ejus cognitio ad reliquam cognitionem est necessaria. Nisi enim prae noscatur finis, nulla eorum quae ad finem ducent notitia haberi potest. Idem judicium

Nota & no-
tiora que hic
dicantur:

Sic etiam
intellige fa-
ciliora co-
gnitu.
Obiect.

esto de principiis in physiologia & aliis scientiis. Quare statuendum: omni ordini esse reliquum bene cognosci potest, incipiat. Si vero hoc objiciatur: Ethica incipit a felicitate quae secundum naturam ultima est: prima enim hic principia sunt pracepta moralia: Nam haec sunt causae bonarum actionum, & haec rursus consuetudine iterata sunt causae acquirendi habitus virtutum, qui tandem sunt causae actionum consequentium, in quibus Aristoteli constituta est felicitas: Ergo incipere licet aliquando a secundum naturam ultimis. Respondebis, te concedere totum, si per secundum naturam ultimum, ultimum secundum seriem & ordinem rerum, & per ordinem naturae ordo rerum, prout existunt, intelligatur: vel respondebis explicacione phraseos seu modi loquendi: In Ethicis felicitatem non esse secundum naturam ultimum, sed primum, quod ex ea reliqua facilius cognoscantur.

Solutio.

**Finis disci-
plinae Ethicæ
est principi-
um eius.**

P R O B L E M A XXXIII.

*An quæ sunt natura priora necessariò præcedant
in doctrina corpore constituendo.*

Negatur.

PRIORA natura, id est, naturali essendi (ut ita loquar) ordine non necessariò & semper in dispositione artificiosa disciplinarum præcedere, nec omnia quæ sunt priora cognitione, simpliciter priora esse, antè assertū est. Id nunc perspiclio exemplo uno atq; altero libet ostendere, Locum esse priorem & antiquiorem corpore, rectè docent antiqui philosophi. Jam si locus est prior corpore ut locato, erit & prior motu, qui accidens est corporis naturalis. Et tamen in physicis motus cognitione prior est, quam locus, cū motus internum, locus verò internum sit accidens corporis, nempe ~~accidens~~. In Theologia Christiana & prima philosophia priùs cognoscitur Deus, ut intelligens, quam voluntis. Idq; non ex natura rei seu Dei: utrumq; enim intelligentia & voluntas est una & eadem essentia divina: sed nostro concipiendi ordine id evenit. Prius tractatur de Deo Pater, quam de Filio. At Deus Pater non est prior Filio simpliciter, seu natura, aut tempore: cum quia Pater & Filius formaliter seu in trinsecus sunt correlata, ac proinde simul natura: Tum verò etiā quia natura prius & posterius

Nostra tan-
tum ~~omnivola,~~
non verò re-
aliter & sub-
iecto diffe-
runt volun-
tas & intelle-
ctus Dei,

sterius semper differunt perfectione. Hinc
& hoc sensu Athanasius: In Trinitate, ait,
nihil est prius, nihil posterius. Est autem De-
us Pater, ut Persona producens, filio, ut per-
sona producēta, prior, partim naturalis enu-
merationis ordine & origine, quatenus filius
a patre accepit esse: partim nostro intelligen-
di modo: ut quibusdam Scholasticis Docto-
ribus placet: Quia persona producens antē
intelligitur, quam productio activa, proin-
deque persona producēta, quae ab illa quasi e-
greditur. Verūt hīc difficillima occurrit ob-
jectio: Unum relatorum quatenus tale est,
non potest sine altero intelligi: ideoque nec
ante alterum: persona producens non potest
intelligi nisi relativo conceptu. Ergo ne mo-
do quidem nostro intelligendi prior est De-
us Pater Filio. Resp. Hæc objectio nihil con-
flicere quibusdam (quos modò Scholasticos
nominavi) videtur, qui negandam putant
consecutionem: quod plus sit in conclusione
quam ex præmissis sequatur. Et si enim corre-
latorum alterum sine altero perfectè non in-
telligatur, tamen quatenus in divinis relatio-
producentis, & productio activa idem sunt,
eatenus apud nos more nostro, id est, imper-
fectè, divina intelligimus, priusq; concipi-
mus personam producentē seu gignentem,
quam productionem activam. In hanc sen-
tentia

Obiect.

Solutio.

tentiam congruit quod ait Fonseca : Modo Pater est pre
or filio ordi-
nostro intelligendi persona producens prior ne nostri in-
est producta. Quia etsi persona producens tellectus in
non potest concipi sine relatione : potest ta-
men concipi more nostro ante productio-
nem activam, conceptu non relativo, sed ab-
soluto, more inquam concipiendi, quo con-
cipimus producentia nostratia, quae revera
absoluta sunt. Id autem tunc fit, cum appre-
hendimus relationem producentis, non qua-
tenus terminatur ad personam productam,
sed quatenus dat esse ἀκοινωνία, seu ἵπτοσυ-
νη, id est, incommunicabile seu personale.
At is conceptus imperfectus est. Objici quo-
que potest Augustinus, qui dicit, inter per-
sonas divinas dari ordinem naturæ. Sed re-
spondendum : intelligere Augustinum per
ordinem naturæ ordinem naturalem origi-
nis & naturalis enumerationis, id est, qui non
est arbitrarius, sed invénitur seu cernitur in
rebus, vel fœcunditati naturæ divinæ eandem
numero naturā genito communicantis con-
venit, & ita certus immotusq; est, ut inverti
non possit. Si enim Pater esset prior propriè
Natura, quam Filius, filius initio saltem esset
imperfectior generante, de quo antè attigi-
mus, id quod est ἀστόλογον. Ex his intellige hoc
pronunciatum : principium prius esse natu-
rae cuius est principium : tantum dari seu

Lib. 3. contra
Maximum,
cap. 14.

(1)
Sic Scotus
propriè vo-
cat.

concedi in rebus creatis: & tamen¹ ordi-
nem originis cū Augustino & Thoma Aqui-
nate vocari posse aliquo modo ordinem na-
turæ, non quo una persona sit prior alia, sed
quo sit ex alia: quo quidem respectu exem-
plum de Patre & Filio, à quæstione proposita
alienum esse fateor. Adjiciam igitur tertium
exemplum observatione dignissimum, pro-
pter multos qui fovent hic errorem de natu-
ræ ordine: Aristoteles disputat lib. i. de cœlo,
cap. 4. Circulum natura priorem esse trian-
gulo. Disputatio philosophi his potissimum

(2)
Antecedens
Enthyme-
matis in quo
deest assump-
tio.

continetur verbis: ² Quoniam in quoq; ge-
nere naturæ³ ordine prius & antiquius est,
id quod unum est pluribus, & quod simplex

(3)
Intelligit or-
dinem natu-
ræ generati-
onis.

est eo quod ex pluribus constat: ⁴ profectò in
planis figuris circulus principatum obtinet.
Præterea⁵ si id perfectum est, à quo pars nul-
la abesse potest: ⁶ & ad rectam lineam acces-

(4)
Consequens
Enthyme-
matis.

sio fieri potest: rotundæ autem nihil potest
addi: ⁷ perspicuum est, eā perfectam esse, qua
orbis continetur. Ita si⁸ prius est id quod per-

(5)
Propos. ma-
jor.

fectum est eo quod est inchoatum, ex his et-
iam prima figurarum planarum erit circulus.

(6)
Assumptio.

Eademq; ratione globus in solidis primum

(7)
Conclusio.

locum tenebit. Solus enim hic extremitate

(8)
Intellige hic
prius ordine
naturæ in

una continetur. Quæ autem rectis lineis cō-
stant, pluribus. Ut enim in planis circulus se-
habet, sic in solidis sphæra, &c. Aristotelis
thema

thema est: Circulus figurarum planarū: Sphē-
ra solidarum prima est. Hoc cum argumentis
suis dispositum cōcluditur sic: Syllogismus I.

In quoque genere quod unum est, pluribus,
quod simplex est, eo quod compositum est,
natura prius est: Circulus est magis unū quid:
est simplicior quām aliæ planæ figuræ. Ergo
circulus planarum figurarū prima est.⁽¹⁾ 2. Syl-
log. Perfectum est à quo pars nulla abesse po-
test. Rotundæ seu in orbem inflexæ lineaæ ni-
hil addi potest: Ad rectam verò aliquid. Ergo
rotunda linea est perfecta.⁽²⁾ 3. Syllog. Quod
perfectum est, prius est imperfecto. Circulus
est perfectissima planarum figurarum, (pro-
pter rotundam, qua continetur, lineam:) Er-
go circulus est prima planatum. Hos syllogi-
smos Aristoteles etiam ad globum & figuras
solidas reliquas vult accommodari: quod ut
circulus una linea, sic globus una superficie
contineatur, &c. Quorsum hæc, inquis? Di-
cam equidem breviter: Statuat aliquis cum
Aristotèle: Natura priorem esse circulum:
Triangulum naturā posteriorem. Iccircōne
statim in Geometria prius docebit de circu-
lo, quām de Triangulo? Minimè verò. Ordo
nostræ cognitionis hic spectandus est. Sic
verba sunt natura posteriora rebus: rebus e-
nim quæ jam sunt, imponuntur nomina. Et
Mathemata sunt naturā posteriora physicis:

tentionis seu
scopi: estque
hic iterum
Enthymema.

Hic recipit a cōf.

pro yilogi-
mus assump-
tionis sequē-
tis yilogi-
simi.

Hic revera
est secundus
syllogismus.

propterea, quod illa versantur circa ea, quia abstracta sunt à materia sensili, ac posita in materia intelligibili (Scaliger exerc. 6. sect. 3.) Et tamen ordine cognitionis & institutionis nostræ & consecutionis logicae posterior est doctrina rerum doctrinâ verborum, & physiologia mathematis. Quæ igitur naturâ priora sunt, non semper doctrinæ quoq; ordine priora sunt: quod exemplis declaratum oportuit.

PROBLEMA XXXIIII.

Tanta est dignitas ordinis, ut alicubi in iuris disciplina ordo habeatur pro rei forma: ut forma in stipulatione esse dicitur, quod præcedit interrogatio, & mox sequitur responsio, teste Mynsingero. Forma autem Aristoteli est divinum quid optimum & maximè expetendum. Tale igitur quipiam ordo erit. Quapropter rursus quaro:

An ordo in disciplinis sit à generalibus ad specialia?

De affirmatione aliquis dubitet, cum omnia in disciplinis debeant esse generalia, cum individua seu singularia quæ infinita sunt, ex iis excludantur, (physica enim, verbi causa, non definit, Catonem, Bucephalum) nisi quod singularibus exemplis præcepta declarantur, illustrantur, ostenduntur. Verum non

non est ignorandum, quod subjicimus: Etsi in doctrinis omnia documenta sunt generalia; tamen generalitatis, ut ita dicam, gradus sunt (ideoq; diversi loci) summi, medii, infraimi. Et quæ in disciplina bene digesta compo-sitaq; specialia dicuntur, ea respectu individuorum seu ἀτόμων (quæ Aristoteli dicuntur) sunt generalia. Sic Institutionum, quæ habent juris civilis historiā, libri sunt 4, tanquam summa genera. Hi libri distinguuntur titulis tanquam intermediis generibus & adjunctis quibusdam. Tituli distinguuntur versibus seu paragraphis, tanquam speciebus & exemplis. Gradus illigenitalitatis in diversis etiam disciplinis manifestè apparent. Geometrica præcepta sunt κεδοληπτέρα, & generaliora, quam Grammatica, ut quæ fere nullam analogian catholicam sine anomalia & exceptione recipiunt.

P R O B L E M A XXXV.

An diæreticus rūcis sit distincta à synthetico & analytico ordine?

Negatur.

ORDO diæreticus, quem quidam consti-tuunt, non differt re ipsa à reliquis duobus. Diæresis enim est ordinis ministra, vel pars: seu est ipsa materies disponenda & ordine collocanda, sicut & causa & genus. Ut

I 2 igitur

igitur in methodica collocatione genus est quoddam summum, medium, infimum: Causa quædam suprema, media, infima, nec tantum ita ut men ordo aliquis genericus aut causalis constituitur: Ita quoque divisio hæc primo est loco, ista medio, illa ultimo, ne tamen ordo hic divisus dici debet: nisi ita syntheticus vel analyticus, ob divisionem, qua maxime utitur, appelletur: quem sensum non improbo. Isdem argumentis etiam ordo definitivus, quem vocant, (Galeno etiam *διάλυσις* & *ἀνάλυσις* dicitur) refellitur. De hoc ita judicat in libello de informāda methodo Iod. VVillichius: Si exactius perpenderis, non tam exquisitè docet, quam collectionem eorū, quæ antea plenius didicimus, ad recordandi facilitatem animo subjicit.

PROBLEMA XXXVI.

Verè dictum est, & utile præceptum est: Ordine fac doceas, & dexter habebere Doctor. Ordine fac discas: & bene doctus eris. Et artis umbram, non artem, habet, qui sine ordine didicit. Quæro igitur:

An Methodus explicationis questionis simplicis sit ordinis integrarum disciplinarum cum appendice de analysi & Σχετικη scholastica.

VULGO methodus simplex dicitur, cùm thema simplex ita explicatur, ut primò quæratur

Dixit or-
dinis mini-
stria est, ita ut
ab ea divelli
nequeat.

ratur de vocabuli significatione. 2, An sit. 3,
 Quid sit. 4, Quæ partes. 5, Quæ species. 6,
 Quæ causæ. 7, Quæ effecta. 8, Quæ cognata.
 9, Quæ pugnantia. Hic processus aliqua tan-
 tūm ex parte est consentaneus ordini totius
 corporis disciplinæ: Qui primò disciplinam
 definit, deinde partitur (unde à quibusdam
~~διάρεσις~~ dicitur) & ita definiendo & partiēdo
 dividendoq; progreditur, donec ad infimas
 species peruentum sit: propriè autem iste
 processus nihil aliud est, quam examinatio
 quæstionis alicujus simplicis, per omnes vel
 saltem plerosque argumentorum locos. Or-
 do autem universæ doctrinæ est quæstionum
 compositarum, id est, multorum enunciato-
 rum ejusdem generis, seu homogeneorum
 dispositio, non simplicis quæstionis exami-
 natio. Hic ordo neq; est illa analysis schola-
 sticorum, qua opus aliquod artificiose jam
 factū resolvitur, & exploratur: ut cùm Gram-
 maticus puer Ciceronis orationem jam fa-
 etam retexit seu resolvit, hoc est, ad regulas
 Etymologiæ & Syntaxeos Grammaticæ ex-
 minat & explorat. Neque est illa ~~γένεσις~~, qua i-
 psi, jam artis habitu vel ~~διαδέσει~~ instructi, ali-
 quid gignimus: seu efficimus aliquid artis
 præceptionibus adjuti: ut cùm Grammati-
 cus puer argumentum à pædagogo proposi-
 tum artis suæ beneficio ex lingua vernacu-

la in latinum sermonem convertit. Hæ enim tantum sunt artium jam cognitarū, sive perfectè, sive imperfectè, exercitationes : seu ἀρχές sunt τετεία sequentes. Talis igitur analysis, talis genesis, & talis διάπερις nōn faciunt tres ordines doctrinarum.

PROBLEMA XXXVII.

Cum omnis ordo requirat & inferat multitudinem & distinctionem ordinatorum secundū prius & posterius: Quæro:
An ordo aliquis dici possit à principiis ad principia?

AFFIRMATIVA manifesta est. Prior est tractatio in physicis, quæ scribuntur sistatico ordine, primæ materiæ, quām elementorum: prior elementorū, quām seminis: prior seminis, quām carnis & ossium. Materia autem est principium animalis primū, clementa secunda, semen tertium, caro & ossa quarta principia. Ordo igitur hic à principiis ad principia, nempe primis ad posteriora : sed idem ordo est etiam à principiis ad principiata, qui est è causis ad effecta, & à simplicibus ad composita. Nam prima materia simplex est, & ex hac secunda constat. Prior est tractatio in medica arte, (quæ conscribitur analysi,) finis & subjecti, sanitatis & corporis humani, quām remediiorum, quibus finis ille in subjecto effici potest.

poteſt. Cognitio autem ſubjecti & finis, ſeu finis & ſubjectum ut cognoscuntur, ſunt principia cognitionis. Remedia vero ſunt principia rei. Ordo igitur hic eſt a principiis cognitionis ad principia rei, & cauſas, quibus ſanitas conſervatur & recuperatur: & ita finis in ſubjecto efficitur, qualis & Ethicæ eſt progredientis à felicitate & anima humana ad virtutem.

P R O B L E M A XXXVIII.

QUOD didicisti de ordine, uſu expromere, non perinde facile eſt, atque ipsa documenta. Itaque de ratione informandæ materiæ exempla quædam nunc proponimus, ac quærimus primū:

Quis legitimus fit ordo arithmeticæ?

NATURALI conſecutione prior eſſe vide-
tur doctrina Continuæ proportionis, quam
Disjunctæ. Nam continua ad minimum in ^{9. def. 5.} Euclid.
tribus conſiftit terminis, ut quæ ſimplex eſt,
ut in 9, 6, 4, ubi extremorum tantum unum
eſt medium. Disjuncta vero quatuor ad mi-
nimum terminis conſiftit, ut quæ ſimplex
eſt, ut in 6, 4, 18, 12, ubi extremorum duo ſunt
media. Et tamen hic ordo ab Arithmeticis
non ſervatur necessariò, ut Arithmeticæ pro-
portionis continuae præcedat: Disjuncta ſe-
quatur. Multi igitur è recentioribus ſervant

hic ordinem consecutionis logicæ seu facilioris ac melioris cognitionis , cum videatur cognitio præceptorum disjunctæ proportionis Geometricæ, ad quæ pertinet regula aurea, quam vocant , aliquid lucis afferre ad cognitionem præceptorum continuæ. Nam cùm in 9, 6, 4, (quod exemplū est continuæ) facis à 9, & 4, triginta sex, qui factus æquatur quadrato medii , nempe sexies senis , sive, quod idem est, facto à medio in seipsum multiplicato, perinde est, ac si regulam proportionum seu auream exerceres, hoc est, proportionem in 4 terminis disjunctim ita induces: 9 dant 6. Ergo 6 dabunt 4. Quare continuam proportionem posteriore loco tridunt. Malè autem traditur à plurimis Arithmeticis doctrinā Fractionum post doctrinā Rationum & proportionum , cùm fieri non possit, ut hæc sine illa in solidum, id est, perfectè percipiatur. Nam cùm rationis datae minimi termini quærendi sunt, opus est reductione ex doctrina fractionum: ut I¹, sesquialtera per reductionem mistorum est in minimis terminis 3, ad 2. In I¹, id est, sesquioctava termini minimi inventi eodem modo sunt 9 ad 8. Cùm summa progressionis Geometricæ invenienda est, sèpc utendum est numeratione, quæ traditur in doctrina partium

tium seu fractionum, ut 8, 12, 18, 27, numeri
Progredientes in ratione sesquialtera effici-
unt 65. Nam 27, in quantitatem rationis, scil.
sesquialt. ducta producunt $40\frac{1}{2}$ (Hoc pro-
ductum emergit ex multiplicatione partiū.)
Hinc subductus primus relinquit $32\frac{1}{2}$. Quæ
divisa in¹, unitate minorem quantitatem ratio-
nis, qua numeri cōtinuantur, producunt 65.
(Hoc etiam productum emergere non po-
test, nisi antè $32\frac{1}{2}$ reducantur ad $\frac{85}{2}$) Necesse
itaq; est, ut tractatio partium tractationē ra-
tionum & proportionum antecedat, si per-
spicuè & integrè docere volumus. Cæterūm
an methodicum sit, primūm docere Integrorum
numerationē, dubitare aliquis pos-
sit: Ajo in Arithmetica integrorum doctri-
nam esse separatam à fractionum doctrina,
& quidem priorem esse illam, posteriorem
hanc. Ajo fractionem neq; cognitionis neq;
naturalis existentia rationem priorem esse
integro. 1. Quia quisquis integra supputare
nescit, is nec partium calculum putet se posse
discere: sicut & judicat Tonstallus, & docet
res ipsa experiundo. 2. Quia consideratio nu-
meri unius termini, cuiusmodi sunt integra,
prior est, quam plurium, cuiusmodi sunt
partes & misti. 3. Quia integra sunt veri nu-
meri:

Vnitas est vero
rus numerus

respectu fractionis: ut 1.2.3: fractiones non sunt. Nec compositionis: Est ponitur unitas ex fractionibus, ita ut dictio potentia numerus respectu multitudo eius, cuius pars & fons est, ac veluti creatrix.

meri: ut 1.2.3: fractiones non sunt. Nec compositionis: Est ponitur unitas ex fractionibus, ita ut dictio potentia numerus respectu multitudo eius, cuius pars & fons est, ac veluti creatrix.

ex literis vel syllabis. Non enim dicimus, fractionem esse numeri principium, sed unitatem. Ideo numerus ab Euclide definitur multitudinibus ex unitatibus conflata, non ex fractionibus. Unitas potius potentia quam actu numerus (quia principium & pars numeri) per se & natura sua est inseparabilis. Si ea ad magnitudinem, ut rem subjectam, referatur, sectionem quidem admittit: sed ea sectio est ex accidente, hoc est, partes numeri ex ista sectione provenientis oriuntur ex magnitudinis sectione, non ex vera monade: id est, non ex abstracta, sed ex concreta unitate: id est, non proprietas ipsa unitas, sed una ulna, unus florenus secatur. Et in summa: accedit unitati per intellectum solvi, seu ab intellectu frangi: ut fractio posterius quid sit: sicut & hoc inde apparet, quod in divisione non exacta quoto adhaeret fractio, ut I^3 . I^4 . Hæc sunt consentanea doctrinae Aristotelicæ. Nam metaphys. 5. probat: Unum esse principium multitudinis, ex eo, quod unum prima multitudinis sit mensura. Ibidemque docet: punctum & unitatem nullo modo ratione quantitatis dividi posse: Aliud unum esse indivisum quantitate, aliud forma: Et in quantitate quidem indivisum dici, quod quantitate, quatenus quantitas est, dividi nequeat:

Unitas in numeris non suscipit divisionem, ut nec punctum in magnitudinibus.

queat: cujusmodi unitas numeralis. Consentient quoque, pulcreq; concordant cum doctrina Euclidis: Is enim lib. 7. definitione 7. Impar, inquit, numerus est, qui bifariam dividitur, vel qui unitate differt à pari: ut omnes hi numeri, 5, 11, 13, nominantur impares, quia non possunt in duas æquales partes dividiri: vel certè, quia unitate differunt ab his paribus 4, 10, 12. Hinc perspicue colligitur, unitatem in numeris esse individuam. Si enim divideretur, omnis numerus impar haberet dimidium, atque adeò bifariam dividi posset. Nam hujus imparis 11, dimidia pars essent quinq; unitates & semis: cujus contrarium Euclides modò dicta definitione tradidit. Nec obstat, quod in Arithmetica aliquando unitas dicitur numerus: ut cùm unitas & quivis numerus dicuntur numeri inter se primi: cùm unitas vocatur numerus solidus. Id enim sit non propriè, sed per abusum. Porrò cùm, sicut initio dixi, continuum videatur quibusdam naturâ prius, quam disiectum: tamen, cùm cognitio expedita proportionis continuæ pendeat à disiecta: & proprietates conjunctæ è proprietatibus disiectæ deducantur: rectè illa priori loco tradetur. Nam multiplicis proportionis seu progressionis Geometricæ Arithmetica præsupponit, ut loquuntur, hoc est, ante se requiri.

requirit, cognitionem disjunctæ. Nam de inventione summa est illius progressionis regula: Si tollatur primus terminorum è secundo & ultimo: erit ut reliquus secundi ad primum, sic reliquus ultimi ad omnes præcedentes ultimum, seu summam omnium præcedentium ultimum. Datis ergo primo, secundo, ultimo progressionis terminis, datur summa progressionis: per subductionem primi è secundo & ultimo, dantur tres proportionales, & per auream regulam, quæ est de quatuor disjunctis, quartus, qui æquat, omnes excep pro ultimo: Ideoque si quartus addatur ultimo, totus erit summa universæ progressionis. Sed an natura prior sit proportio continua quam disjuncta, non ab redubitari potest. In continua enim simplici medius terminus est pro duobus, secundo scilicet & tertio disjunctæ: Itaq; quod aurea regula docet de quatuor disjunctis, idem continua proportio docet in tribus continua, medio bis sumpto. Disjuncta est 2, 4, 8, 16, multiplica 8, per 4, factus est 32. Hunc divide per 2, quotus est 16. Continua est 2, 4, 18. Multiplica 4 in se, factus est 16. Hunc divide per 2, quotus est 8. Relinquo igitur hoc in medio, ut disputationem, quæ non est magni momenti. Ac ut recolligam me, dico: Ordinem præceptorum Arithmetices esse à principio

cipio ad principiatum, id est, ab eo unde numerus primū cognoscitur: à magis independente, ad ea, quæ magis ex aliis dependent. A simplicioribus ad magis composita: ut ab unitate ad numeri partes & numerationem: à notatione ad notatorū λογισμὸν. Omnis enim prima mensura est id ipsum unde res primò cognoscitur. Unum est prima mensura numeri. Ergo inde numerus primū cognoscitur. Et: Res quæ habet principia, ex iis primū cognoscitur, modò à nobis cognosci possint. Unde enim res primò habet, ut sit: inde primò quoq; habet ut cognoscatur perfecta cognitione. Numerus habet principiū unitatem. Inde igitur primū cognoscitur. Et: Qnd quicq; est simplicius, eò magis præcedet. Notatio simplicior est quām additio: additio, quām multiplicatio: multiplicatio, quām divisio: divisio, quām regula de tribus notis, quartum ignotum mōstrantibus. Notatio igitur præcedit in doctrina, numeratio sequitur. Hic ordo doctrinæ consentit cum ordine Naturæ generationis & compositiōnis, secundum quem imperfectiora sunt priora: ut materia prior est formâ & essentiâ: Non cum ordine perfectionis (naturæ)juxta quem, seu ratione cuius perfectiora sunt priora (de quo alibi differuimus: ut essentia seu compositum est prius materiâ & formâ).

tum Arithmetices?

Multiplicatio enim est multiplex additio.

Divisio est multiplex subductio.

PROBLEMA XXXIX.

Quemadmodum venatores rariū feram
viderent, tantū abest, ut eam caperēt,
nisi per certa vestigia ad lustra deduci
fuerint: Sic discipuli raro difficerterq; ad di
sciplinæ alicujus & veritatis penetralia aspi
rabunt, qui ordinis ductum non sequuntur.
Pergo igitur quærere:

Cum duæ sint Cosmographiae partes, Astronomia &
Geographia, utra præcedere debeat? Et an Geo
graphia sit prior scientiis Mathematicis
propriè dictis?

SUNT, qui docent & demonstrant, Geo
graphica, id est, præcepta ad globi totius è
terra & mari constituti descriptionem per
tinentia (ut Terra est in medio universi sita)
nondum perceptis hypothesibus Circulorū
Æquatoris, Meridiani, Horizontis, &c. Illi
docent à nūlōs, id est, sine ordine, ideoq; dif
ficiiliùs & minùs fructuosè. Antecedat igi
tur Geographiam Sphærarum seu orbium
vel saltem circulorum cœlestium cognitio.
Sine hac οὐδεις ignoratur, quæ regio in
quam mundi plagam magis vergat: unde sit
calor & frigus in quolibet climate: cur dies
certis in locis semper noctibus sint æquales:
aliis atque aliis in locis breviores aut longio
res: cur venti ab alia parte spirantes sint cali
diores,

diores, frigidiores, humidiores aut sicciores,
quam ab altera. Est & Geographia ordine,
Institutionis & Disciplinæ posterior, quam
Arithmetica & Geometria. Utitur enim his
velut instrumentis. Hinc vulgo ad *μαθηματα*,
quæ vocat Aristoteles, φυσικῶτερα (quorum
objectum est *αἰσθήσην*, id est, sensile) refertur.
Sic igitur collige. 1. Sine quo ad posterius
aditus non datur, de eo prius cognoscendum
aliquid: Sine Arithmetica, Geometria, &
Astronomia non datur aditus ad Geographi-
am. Ergo de illis prius aliquid cognoscen-
dum. 2. Si Geographia ex Astronomia pe-
titas circulorum cœlestium designationes ac
ductus terræ accommodat & obducit, & ad-
hibita Geometria circulorum in convexo
terræ amplitudinem, & quantum de his spa-
tium cœlesti circulo subiectum certa pro-
portione respondeat, quantum sit à superfi-
cie ad medium seu centrum hujus interval-
lum, quanta sit totius globi moles, demon-
strat: Si quid terræ longitudo, & latitudo, atq;
unde hæc ordienda sint ingeniosè ratiocina-
tur: Si denique integræ superficie terræ de-
scriptionem vel singularum regionum dis-
junctarum atque locorum situs ac intervalla,
quantum quoscunq; mundi cardines versus
pateat orbis habitabilis, quo loco mare ter-
ram complectatur, aut etiam eidem infunda-
tur

tur velut ob oculos proponit: omniaq; haec
Geometricè delineata numeris Arithmeticis
explicet, & dimetiri docet: profectò ordine
cognitionis, Arithmeticā, Geometriā & A-
stronomiā prior est Geographia. Verum ante-
cedens. Verum igitur & consequens.

PROBLEMA XL.

Solutio dubii cuiusdam de ordine tractationis Naturae, & Motus Aristotelici in ànægáōes physica.

Rationem ordinandi semper sumi à nostra meliore vel faciliore cognitione: hoc est, illa semper esse anteponenda, quorum cognitio vel necessaria vel utilis sit ad reliqua cognoscenda: totidem verbis scripsit Zabarella. At absque tractatione de motu intelligi definitio Naturæ non potest. Dicit enim Aristoteles: Ignorato motu, neesse esse ignorari naturam. In physica igitur motus doctrina prior erit doctrina de Naturâ. Itaque debuit Aristoteles prius motus, quam naturæ definitionem tradere. Quod cum non fecerit, in legem ordinis impedit. Respondet Zabarella: Verbis, quæ sunt in principio tertii physicorum: Ignorato motu necesse est ignorari naturam, Aristoteles intelligit cognitionem motus an sit, quæ dicitur confusa (non cognitionem quid sit, quæ dicitur distincta, qualem postea tertio libro phys-

Obiect.

Solutio.

phys. tradit.) requiri ad cognitionem naturæ: Non vult significare tractationem de motu in principio tertii libri esse instituendam ad definitionem Naturæ intelligendam: Sed ignorato, quod sit seu detur motus, naturam nullo modo cognosci posse. Hoc igitur ex sententia Zabarellæ teneatur: Naturæ definitionē satis à nobis intelligi per solam motus cognitionem confusam & imperfectam, nec postulate distinctam illam, quæ 3. libri ~~anecdotes~~ docetur. Ego simpliciter sic respondeo: Aristotelem hoc velle, quod intuenti contextum obscurum esse non potest: Sine Motu Natura definiri nequit. Ergo nobis, qui de Natura tractationem instituimus, Motus est cognoscendus. At hinc minimè confici: doctrinam Motus debere priorem esse doctrina Naturæ.ⁱ Anteponenda enim sunt, quorum cognitio scilicet distincta, accurata & perfecta est necessaria vel opportuna accōmodataq; ad reliquorum cognitionem. Tam autem cognitionem non efflagitat explicatio Naturæ, ut antè attigi.

(i) Sicut nos se-
quitur: phi-
sica definiri
nequit sine
re naturali.
Ergo primū
agendum est
de re natura-
li, & postea
physica est
definienda.

P R O B L E M A X L I.

*An in doctrina dimensionis terræ Geographica di-
mensio circuferentia seu circumferentia prior fit
dimensione diametri.*

Affirmatur.

K

In

IN Geographia primùm duarum linearum orbis terræ traditur, quarum una circularis est (*περιφέρεια*) & superficiei terræ circumquaq; obtenditur: Altera recta (*διάμετρος*) quæ per centrum terræ transmisla untrinque ad *περιφέρειαν*, seu circumferentiam ejusdem excurrit. Postea superficiei convexæ totius globi amplitudo quæritur: Tandem de crassitie seu mole solida dispicitur. Hic ordo non rusticus & agrestis, sed concinnus est, & intelligentiæ accommodatus, præterquam quòd sequitur ordinem dimensionum, id est, specierum magnitudinis. Sed cur ambitus seu *περιφέρεια* globi terreni primùm quæritur: postea verò diameter, quæ profunditatem illius monstrat? An non linæ rectæ, qualis est diameter, consideratio prior est quam curvæ, qualis est perimeter? Respondeo Syllogisticè. Id quod ex alio innotescit posterius est doctrinæ ordine, quam id ex quo innotescit. Diameter terræ innotescit ex iis, quæ de ambitu seu *περιφέρεια* terræ traduntur, modò his adjungatur ratio cuiuslibet circumferentiae circularis ad suam dimetientem: quæ est tripla sesquiseptima 3¹, quemadmodum se habent 22 ad 7. Ergo quanta sit diameter orbis terreni, id est, quantum spatii ab ejus superficie sit ad ipsum usq; seu medium ejusdem, posterius est docendum,

Annoeia.

dum, quām quantus sit ambitus. Minorem declaro. Ex nota peripheria (quæ est miliariū 5400) colligenda est diameter, (quæ est 1718 cuī²₁₁ miliar.) ita ut 7 (quæ sunt diametri partes) multiplicentur in 5400, & productum per 22, quæ sunt peripheriæ partes, dividatur.

P R O B L E M A X L I I.

N Ulla ars, nulla scientia, citra ordinem rectè percipi potest. Quæro igitur:

An Geometria docenda à posterioribus ad priora?

Negatur.

E S T, qui putat, Geometriam faciliūs & commodius doceri posse à posteriori, à corpore ad superficiem, à superficie ad lineam, à linea ad corpus. Sic:

C o r p u s e s t l o n g i t u d o , l a t i t u d o , & p r o f u n d i t a s .

C o r p o r i s e x t r e m a s u n t s u p e r f i c i e s .

S u p e r f i c i e s e s t l o n g i t u d o & l a t i t u d o s i n e p r o f u n d i t a t e .

S u p e r f i c i e i t e r m i n i s u n t l i n e æ .

L i n e a e s t l o n g i t u d o s i n e l a t i t u d i n e & p r o f u n d i t a t e .

L i n e æ e x t r e m a s e u t e r m i n i s u n t p u n c t a .

P u n c t u m e s t l i m e s l i n e æ , & a r t i a d i c i p e r & s i n e s p a t i o .

Sed sciendum est, neq; à puncto (quod magnitudo non est, sed terminus simplicissimus magnitudinis) neq; à corpore recte Geometriam inchoari. Inchoanda enim est à subiecto totali (ut vocant,) hoc est, universalis, catholicus, adæquato, proprio, quod est magnitudo, non punctum, non corpus. Et sanè difficultas valde difficilis futura esset, si à Stereometria seu doctrina solidorum procederetur ad Epipedometriam, seu doctrinam planorum & superficierum. Plura enim requiruntur ad cognitionem solidi, seu corporis, quam ad cognitionem superficierum. Verum objicis: In doctrinis iter est à priori ad posteriota: principiis ad ea quorum sunt principia. Sic in physicis proceditur à principiis seu primis elementis ad principiata & composita. Magnitudinis principitum est punctum. Sic numeri principium est unitas. Ergo in Geometria procedendum est à puncto ad magnitudinem: in Arithmetica ab unitate ad numerum. 2. Et simpliciter notius quid est punctum quam linea. Prius igitur de puncto agendum quam de linea. Antecedens est 6.lib. Topicorum cap. 3. Aristotelis. Simpliciter notius est, quod prius est posteriori: ut punctum linea, & linea superficie: & superficies solido: quemadmodum & unitas numero. 3. Et ab universalioribus est incipiendum. Punctum est magis universalis.

Obiectio
speciosa.

versale, quām linea. Ergo, &c. Resp. i. Concedo, in Geometria procedendum à puncto ad magnitudinem, hoc sensu: In Geometria prius punctum definiendum, quām magnitudines seu species magnitudinis explicetur. Idem judica de unitate & numero in Arithmetica. Sic in Grammatica prius litera definienda, quām voces seu vocis species & differentiae doceantur. In physicis prius de principiis agendum, quām de rebus naturalibus seu speciebus rei naturalis. At non concedo conclusionem istam hoc sensu: In Geometriæ benè ordinata doctrina punctū prius est definiendum, quām, quid sit magnitudo generatim, doceatur. In Grammatica prius litera est definienda, quām generatim doceatur, quid sit vox. In physicis prius agendum de principiis, quām res naturalis, cuius principia sunt, definiatur. Hæc enim ordinis perturbatio quedam fuerit. In scientia enim & arte totum subjectum prius est constituendū, quām principia & partes subjecti, aut adjuncta. In Geometria igitur magnitudinis definitio puncti & linea: in Grammatica vocis definitio, literarum: In physiologia rei naturalis definitio, principiorum tractationi præponitur.

2. Simpliciter quidem prius est punctum, quām magnitudo: sed ordine doctrinæ non dicitur prius magnitudine. Etenim aliquid

Solutio
verissima.

In Geome-
tria prius
magnitudo
ut genus sub-
jectū defin-
tur, quām
punctū: Sed
punctum
prius defin-
tur, quām
species ma-
gnitudinis.

magnitudinis. Itaque tractatio de puncto pertinet ad ipsam tractationem de magnitudine. Est vero punctum prius ordine doctrinae, quam linea aliqua specialis:

PROBLEMA XLIII.

*An unum & idem Ordine prius & posterius
esse possit?*

Affirmatur.

Observatio non inutilis est: Idem potest esse prius & posterius diverso respectu: Prout diversa est scribentium occasio, diversus scopus: vel etiam prout genus aliter atque aliter, seu ex alio atque alio inventionis fonte seu argumento dividitur. Id non raro occurrit in dispositione partium doctrinæ. Potest, exempli causa, tractatio de demonstratione logica ita conformari, ut demonstratio ab effectu demonstrationem à causa remota praecedat, nempe tali facta divisione:

<p>(a) Pariens perfectam scientiam.</p>	<p>Demonstra-</p>	<p>{ a Primaria, seu princeps. Primi gradus: Σ dicitur, id est, propter quid: id est, à causa immediata.</p>
<p>(b) Pariens im. tio est perfectam scientiam.</p>		<p>{ b Secundaria seu minus princeps: Σ dicitur: id est, Quod sit.</p>

{ Medii gradus: Ab effecto.

{ Infimi gradus: A causa remotâ.

Seu : Immedi- atis.
 Demonstra- A causa simpliciter pro- xima.
 tio est ex Ab effecto seu signo.
 principiis, Mediatis. A causa remota, quæ raro cum effecto suo reciprocatur.

Potest & ita hæc tractatio institui, ut demonstratio ab effecto demonstrationem à causa remota sequatur, nempe hac facta divisione :

Demonstra- Immediata.
 tio est ex Natura, & nobis,
 notioribus id est, ex notiori- bus nobis naturæ ordinem servanti- bus. Ea est à cau- sa
Remota.
Nobis tantum, id est, nobis ordine con- trario naturæ utentibus. Ab Effecto.

Ergo in explicatione logicarum præcepti- onum priorem ordinem tenui. Priùs enim docui de demonstratione τε διην, quam de demonstratione Γόην. Quia demonstrationi τε διην primariò & propriè nomen demon strationis convenit : & demonstrationi Γόην illa appellatio tribuitur, quatenus ab illa, ut communi & ἀρχής dicto, pendet, & quibusdam ejus conditionibus participat, quibusdam vero destituitur. Præterea docui prius

de demonstratione ab effecto , quām à causa remota; quia demonstratio à causa remota conditionibus & natura demonstrationis leviter participat, unde insimi gradus dicitur, & insimum locum mereri videtur. Animadvertis hic aliquid loci invenire Ordinem nobilitatis , seu dignitatis. Nobilissima est Demonstratio à causa immediata , quæ principem locum tenet. Ignobilissima à causa remota , quæ ultimo tradita est. Medii gradus est ab effecto, cui medium locum tribuimus. Tæc ab imperfectiori ad perfectius, ut hic perfectio & imperfectio spectatur, locū hic non habet. Hic enim imperfectius non habet rationem causæ; sed dependentis & minus principalis , nec conducit ad notitiam perfectioris. Sic dicimus in doctrina Categoriarum: Substantia est vel singularis, ut Cato: vel communis, ut homo. Quid ita? Quia singularis est prima independens , & velut fundamentum communium. Communis est secunda & dependens à singulari. Sed propositi affero aliud exemplum : Differentia prior est quām species. Species enim fit ex genere & differentia (tanquam è materia & forma.) Quidam igitur speciei , doctrinam differentiæ anteponunt. Genus autem est prius differentia. Ac correlativum generis est species, Quidam igitur doctrinam speciei non

non divellunt à doctrina generis. Ideoque prius docent speciem, quam differentiam. Scilicet correlati doctrina sui relati doctrinam immediate comitatur. Sic causarum præcepta doctrina effectorum sequitur, nullis aliis interpositis. Sic Nicomachus consonantias perfectiores & potiores anteponit Diapason, Diapason cum diapente. Disdiapason, Diapente: imperfectiorem seu minus suavem postponit, videlicet Diatessaron. Sed si ordinem naturæ spectes, præponenda fuerit Diatessaron vel Diapente. Pulcrum obiectum currit mihi hic objectio: Dicis, Demonstratur, *κατὰ πάντας* perfectissimam & potissimam mereri primum locum: levissimam ultimum: Medium inter has, medium. Ergo cum & necessitatis gradus sint, & conditio *κατὰ πάντας* (De omni) necessariam faciat enunciatio- nem levi parvæq; necessitate: *καθ' αὐτὸν* (per se) magis necessariam: *καθόλου περιτον* (univer- sale) verò summè ac maximè necessariam: pri- mūm explicabitur *καθόλου περιτον*: Deinde *καθ'* *αὐτὸν*: Tertiò *κατὰ πάντας*. Atqui ordine in- verso hæc ab Aristotele & omnibus ejus se- catoribus explicantur. Ad hanc objectio- nem solidè respondeatur hoc: Tò *κατὰ πάντας* ideo primum esse in doctrina, *καθ' αὐτὸν* me- dium, *καθόλου* ultimum: quia conditio de omni fine reliquis esse & cognosci potest, at non

reliquæ sine ipsa. De omni magis simplex quid est quam per se : Per se simplicius quid est, quam universale. Hoc magis compositum quid est, & plus continet, hoc est, amplectitur per se & de omni, ut pentagonus trapezoidum & trigonum. Conditio de omni est magis universalis, quam reliquæ duæ. Conditio per se est magis universalis, quam tertia: (Universale hic dico quod pluribus inest) id est : Omnis propositio per se est etiam de omni, non vicissim: & omnis propositio quæ est καθόλου, est etiam per se, sed non vicissim.

PROBLEMA XLIII.

Theses de artificiose & scientifica methodo unica.

I.

NObilis & disceptatione dignissima est quæstio de Forma, & tanquam anima artis, **M E T H O D O**, cuiusmodi ea, & unicæ sit, an multiplex.

Θεσης. 2. De ea ut habeas, quod rectè vereq; statuas, hoc tenebis pronunciatum: quod totius nostræ disputationis κεφάλαιον ἡ κατάστασις (id est caput & status) esto. Materiæ, hoc est, præceptorum artis propriorum ἀκεισῶς, seu accurate ordinandorum & docendorum unicæ est Methodus, quæ ab intellectu notioribus ac prioribus ad obscuriora & posteriora pro-

progreditur. Ac eodem sensu O R D O dicitur.

3. Secundum intellectum prius & notius est, quod per se explicari & intelligi commode potest. Cætera autem sine ipso non possunt. exdebet

4. Posterius & ignotius est, quod a prioris specie pendet explicatione ac intelligentia.

5. In Physiologia corpus notius est, quam elementum. Quid ita? Quia explicatio corporis institui & intelligentia comprehendendi potest, etiamsi eam nulla elementi tractatio & cognitio antegressa sit. Elementum notius est quam meteorum, metallum, stirps. Quid ita? Quia Elementum sine his doceri potest & intelligi: ad horum verò doctrinam & perceptionem, elementorum theoria & notitia omnino antea requiritur. Animal hominem, homo Platone notior est. Non enim quid Plato sit antea elucescet, quam hominis naturam cognitam habueris. Nec, quid sit homo, prius constabit, quam de natura animalis constiterit.

6. In physica igitur prior erit Corporis, quam Elementi: Elementi, quam Meteori: Animi, quam animalis: Animalis, quam hominis naturae explicatio. Sic in reliquis disciplinis ut quidq; intellectum aliis poterit rebus lucem afferre, cum ipsum interim nullius rei declaratione indigeat: ita prius erit explicandum.

7. Hęc διδασκαλία ὁδὸς est ordo ab universalibus ad specialia.
8. Universalia hęc sunt, quae pluribus sunt communia, quae causam vel subjectum continent sequentium, à quibus deniq; nulla est ad specialia reciprocatio consequentiæ.
9. Horum autem gradus sunt, ut quò quid universalius, eò prius ac superius: quò specialius est, eò sit posterius ac inferius.
10. Causa, ut speciatim res ostendatur, seu principium, magis universale est, quam effecta seu principiata, Genus quam Species. Causa enim inest suis effectis, ac communis his est, non hęc illi: Genus commune est multis speciebus, non hęc illi.
11. Unum inest pluribus quam duo. Et si unum sit, non sequitur esse duo. Unum igitur universalius quid est, quam duo: Punctum pluribus inest, quam linea: Linea, quam superficies: Superficies, quam corpus. Et à puncto ad lineam, à linea ad superficiem, à superficie ad corpus, nulla est vis reciprocæ consequentiæ. Punctum igitur universalius est quam linea, Linea quam superficies, Superficies quam corpus. Corpus animatum attribuitur pluribus, ut stirpi & animali. Animal pluribus, ut homini & bestiæ. Homo pluribus, ut Platon & Socrati. At Socrates non attribuitur homini, nec homo animali, nec

hec animal corpori animato. Et à corpore animato ad animal & hominem nulla est reciprocatio consequentiæ. Nam si animal aut homo sit, sequitur esse corpus animatum: at si corpus animatum fuerit, non ideo sequitur esse animal aut hominem. Posset enim plana esse aut bestia. Corpus igitur animatum universalis est respectu animalis: Animal universalis est respectu hominis, &c.

12. Itaque in constitutione artium prius de principiis, elementis & causis, quam de principiatis & effectis: prius de genere quam de speciebus agendum.

13. In Arithmetica unitas $\tau\alpha\zeta\epsilon\iota$ prior erit binario. In Geometria Linea prior quam Superficies, superficies quam corpus. In Physica constituenda prius erit corpus animatum quam animal, prius animal quam homo, &c.

14. Et sic, ut $\mathcal{C}\mathcal{M}\mathcal{N}\mathcal{C}\mathcal{D}\mathcal{B}$ dicam, in qualibet arte accuratè ordinanda Universalia Specialibus antecedent.

15. Nam ratione, scilicet $\kappa\alpha\tau\alpha\lambda\delta\sigma\nu$ priora ac notiora in dispositione legitima præceptorum semper præcedent: posteriora & obscuriora sequentur.

16. Methodus quæ ab universalibus ad specialia progreditur, ea sola procedit a prioribus $\kappa\alpha\tau\alpha\lambda\delta\sigma\nu$, & notioribus ad posteriora & obscuriora.

- ΘΕΟΦΑΝΙΟΣ ΖΕΥΣ ΗΓΟΥΜΕΝΟΣ ΛΑΤΟ.** 17. Ergo hæc una methodus in disponendis artibus tenenda est.
- ΔΗΜΟΚΡΙΤΟΣ.** 18. Syllogismi propositio, et si illustris sit tamen sic probatur.
19. Methodus artium perspicuæ brevitati intelligentiæ & memorie servire debet. Hinc Horatio ordo Lucidus per metalepsin dicitur.
20. Progressio à prioribus κατὰ λόγον, ad posteriora sola est ad intelligentiam artium & memoriam clarissima maximeq; compendiaria.
21. Ergo hæc una progressio est artium methodus à natura prioribus ad posteriora.
22. Syllogismi assumptionis veritas si in dubium vocetur, pendet ab hoc pronunciato: Universalia sunt secundum intellectum notiora, specialia ignotiora, quod ita demonstratur.
23. Quæ explicari & intelligi possunt absq; aliorum intelligentia, seu quæ aliorum communes causas vel subjecta complectuntur, ideoq; ad eorum explicationem adhibentur, ea sunt τῷ λόγῳ notiora.
24. Universalia explicari & intelligi possunt absq; specialium intelligentia, seu universalia specialium communes causas vel subjecta continent, ideoq; ad explicationem specialium adhibentur.
25. Hinc Aristoteli i. post. cap. 20. Universalia

salia sunt *αὐτιότερη*, & *ἀπλότερη*, & *μηχανήστερη*,
ideoq; etiam *θεωρητικώτερη*, id est, magis
causæ, simpliciora, principiis similiora, sci-
entiae aptiora.

26. Ergo Universalia sunt Specialibus na-
turâ notiora.

27. Stat igitur immota complexio Syllo-
gisni, & sententia de unica & singulari pro-
gressione doctrinæ ab Universalibus ad Spe-
cialia, seu à communib; ad propria & mi-
nus communia, hoc est, à principiis & ele-
mentis ad orta ex his, à generibus ad speci-
es, à subjectis ad adjuncta.

28. Ea nititur præterea, tanquam adamantino fundamento, artium omnium induc-
tione ac testimonio. Neque Grammatica, neq;
Rheticæ, neq; Logica, neq; ulla alia disci-
plina aliam viam unquam tentavit, aut tenta-
re potuit, quām quæ est ab universalibus ad
specialia. Ergo hæc unica est doctrinæ accu-
ratae methodus, & artium conformandarum
ratio.

29. Antecedens probo: Grammatica à li-
teris ad syllabas, ab his ad dictiones progre-
ditur: hinc ad orationes, quæ progressio à
magis communibus est, nec fieri potest, ut
aliter disponatur. Veteres Rethores in arte
sua Inventionem primam, Dispositionem se-
cundam, Elocutionem tertiam, Memoriam
quar-

quartam, Pronunciationem quintam fecerunt. Quid ita? Quia à prioribus naturâ & generalibus ad ignotiora & specialia progressi voluerunt. Si pronunciatio sit, Elocutio præcessit, quia pronunciatio est apta Elocutionis enunciatio, non autem si elocutio sit, pronunciatio illicó est. Itaque elocutionem pronunciationi præposuerunt. Dialectica ita digesta est, nec aliter digeri potest: Ut sicut notionibus simplicibus sunt enunciata, et enunciatis syllogismi: Sic terminorum simplicium doctrina prima sit, propositionum secunda, syllogismorū tertia. Quærenti causam respondebit Dialecticus: Simplices notiones sunt priores & clariores intellectui, ut sine quibus explicari & intelligi enunciata & syllogismi nequeant: illæ vero sine his comodiè possint. Arithmetica non nisi à simplicibus ad compositos numeros, à notatione ad numerationē, à prima numeratione ad coniunctam procedit. Geometria aliter disponi non potest, quām ut præcedat punctum lineam, linea superficiē, superficies corpus, quia punctum est prius & notius linea, & linea superficie, &c. Physica etiam & Ethica hanc Methodum consequantur: Illa definiendo primum corpus, tūm in genera Simplicis & Compositi dividendo: Simplex in cœlum & elementa, Compositum in inanimata & ani-

mittata distribuendo. Hæc verò definiendo primum virtutem, tūm virtutis genera & differentias explicando. Nec ullus unquam Phiscus aut Ethicus extitit, qui ausus fuerit à specialissimis per subalterias differentias ad generalissimum ascēdere.

30. Ex his igitur liquet, omnes artes in methodum à generalibus ad specialia necessitudine quadam consensile ac conspirasse, quam idcirco unicam, non multiplicem esse, necesse est.

31. Addo his hæc: Inutile & magnum in docendo vitium est, sepius idem dicere: Id est, τυτολογεῖν, teste Arist. in Elenchis.

32. Hoc verò vitium & sophistica effugere nemo potest, nisi hac methodo à maximè communibus per intermedia ad ea, quæ in specialibus infima sunt, descendat, teste Aristot. lib. 1. de part. cap. 1.

33. Ergo hæc singularis legitimæ doctrinæ methodus est.

34. Ordo disponendarum artium inventioni & observationi contrarius est. Aristot. cap. 2. lib. 1. Metaph.

35. Artium inventio à specialium observatione ad generalia ascendendo perficitur.

36. Ergo contrà eārum dispositio methodica ab universalibus ad intermedia, ab his ad infima descendit.

37. Ad extremum: Methodus deservit doctrinæ: (hinc enim τέχνη διδασκαλικὴ dicitur) Doctrina scientiæ, hoc est, certæ cognitionis causa constituitur. Scimus per causas & principia rerum. Ergo methodus omnis disciplinæ universæ à causis ad effecta, à principiis ad principiata progrereditur.

38. Atq; hęc sententiæ nostrę, de artis & scientiæ exactè conformandæ methodo, tanquam normā, unica, argumenta κατασκεψίę seu καταφανή, sunt: ανασκόπησis in ipso disputationis cursu sive de explicantor.

PROBLEMA XLV.

Examen sententiæ Chrysostomii Javelli de coniunctione ordinis Synthetici & Analytici in totius materialis (sic loquitur) tractatione.

Chrysostomus Javellus tractatu 6. de syllologismo statuit: In omni toto materiali methodicè tractando procedi posse & synthetico & analyticō ordine. In construētivo, inquit, ordine incipimus à partibus remotis & simplicioribus: hinc devenimus ad partes propinquas, è remotis compositas: è propinquis rectè dispositis constituitur totum; ut patet in architectonica seu arte edificandi. Nam artifex, volens exstruere domum, primò parat lapides idoneos: deinde ex iis bene dispositis facit fundamentum & paries

tes. Ex his recte junctis & conformatis perficit domum. In ordine vero analytico procedimus contrà à composito ad simplicia: à toto ad partes. Nam qui destruit domum, resolvit eam in tectum, parietem & fundamen-
tum, id est, redigit tectum in tegulas, ligna, ta-
bulas, clavos; parietes & fundamentum in la-
pides, &c. Si syllogismus cum quoddam to-
tum sit, constans ex terminis & propositio-
nibus, in consideratione ejus procedere pos-
sumus à partibus ad totum ordine Syntheti-
co, & à toto ad partes ordine analytico. Pri-
mo modo processimus in 2. & 3. tractatu: ubi
actum est de terminis constitutivis orationis
& propositionis, & de propositione, ut re-
fertur ac dirigitur ad constitutionem syllo-
gismi: sicut lateres destinantur ad parietem
constituendum, & paries ad domum. Secun-
do autem modo processuri sumus in hoc tra-
ctatu de syllogismo formalí, hoc est, non a-
stricto ad aliquam materiā: hoc est, cùm pars
propinqua & immediata syllogismi sit pro-
positio: remota autem sit terminus: incipie-
mus à propositione, dicturi quid sit, & quot
ad syllogismum requirantur: Postea dicemus
de termino quid sit, & quot ad constitutionē
syllogismi requirantur. Unde sicut in ordine
synthetico seu compositivo incipimus à par-
tibus simplicibus & remotis, & hinc deveni-

mus ad partes propinquas, & ab his ad ipsum totum: Ita contrario modo in ordine analytico seu resolutivo progredimur. Hactenus Javellus: (cujus tamen dictionem inquit tam alicubi mutavi.) Sed populare hic eius judicium non sequor: exactius & accuratius requiro. Non enim, si res exquisitus perpendatur, inducit duos ordines, quod lib. ^{et epulwia;} prius agit Aristoteles de nomine & verbo: & postea de enunciatione, & quod Javellus primum definit propositionem: inde docet, ex quot partibus, ut propositionibus, syllogismus componatur: & proposicio ex quibus & quot partibus, ut terminis, constet. Nam i. progressio Aristotelis à nomine & verbo ad Enunciationem non est progressio à partibus ad totum. Nomen enim & verbum, quæ sunt nomen & verbum, non sunt partes enunciati, sed subjectum & praedicatum. Ut autem ex enunciatione fit proposicio: Sic ex nomine & verbo fit subjectum & praedicatum. Quod si conteridas Nomen & Verbum in doctrinaria non habere significationem & tractationem absolutam, sed notare relationem ad enunciatum, ut hujus partes sint, & hujus respectu tractentur: Tunc sanè rectius ordo requirit ut definitio enunciati nominis & verbi definitioni præmittatur: sicut Etymologiae grammaticæ definitio (pass)

(pars Grammaticæ prior quæ vocum proprietates interpretatur) anteponitur definitioni vocis, literæ, syllabæ. 2. Primum definiri à Javello propositionem (quæ syllogismi est;) deinde terminos, in quos resolvitur propositio, non est totum præcedere, partes sequi. Nam de partibus agere respectu totius est de ipso toto agere, cum omnes partes à toto re ipsa non differant. Sic primum definire syllogismum, & definitioni subjecere partes syllogismi, non est primum tractare totum, & secundo loco partes integrantes. Nam tractatio partium è quibus syllogismus consti-
tuitur est ipsius syllogismi pertractatio. Par-
tes autem syllogismi, quæ eum respiciunt,
primum explicare, & postea syllogismum de-
finire *à μέσῳ* est: non multò secus ac si quis
primum diceret: Theologiam universam
duabus partibus contineri: Lege & Evange-
lio: & postea Theologiam definiret: aut pri-
mū partes temporis describeret: postea af-
ferret temporis descriptionem. Ex his intel-
ligit lector, me non probare, sed pro *αντιξίᾳ*
aliqua habere, quod Aristoteles primum de-
finit terminum: postea syllogismum. Sed for-
tasse aliquis pro Aristotele hoc afferat: Ter-
minum ab eo recte præmitti, eo quod non
considereretibi terminum quæ constituit pro-
positionem, & ex consequenti ratiocinatio-

Totum nihil
differt à par-
tibus suis si-
multaneis.

nem, sed quā propositio in ipsum ultimō resolvitur. Respondeo : hanc rationem nullius esse momenti. Nam & domus resolvitur immediate in fundamentum & parietem : Fundamentum autem & paries ultimō resolvit in lateres, &c. & tamen prius definitur dominus quām paries. Sic & syllogismus & propositiones, licet ille immediatē resolvatur in propositiones, hæ vero in terminos : tamen prius definiri debent, quām terminus. Ratio igitur illa est à nobis.

PROBLEMA XLVI.

De ordine ab hypothesibus ad assertiones, ab axiomatis ad theorematum & corollaria.

Nunquam satis laudatus in disciplinis & disputationibus ordo est, quo omnia theorematata documentaque inter se ita sunt nexa colligataque, ut posteriora pendent ex prioribus : Ita enim fit, ut res quām celerimē percipiantur, & firmissimē retineantur : ut cum ex hypothesibus ponuntur conclusiones, quas vocant; constituantur canonnes: deducuntur responsiones ad quæsita: cū conclusionibus, axiomatis, definitionibus, consecaria subjiciuntur. Exempla suppedantur possunt disputationes Physicæ, Opticæ, Geometricæ. Hoc autem est progredi à principiis (cognitionis) ad principiata : Exempli causæ

causa: Quæstionis: Quomodo in universo sit dextrum & sinistrum: tractatio sic informari potest: 1. Cùm omnes physici differentias loci (dextrum, sinistrum, ante, post, sursum, deorsum,) universo tribuant, in quæstionem venit: Quomodo sint in eo, utrum natura & ἐνεργεία, an χέστιος seu respectu ad aliud tantum. 2. Ad hanc quæstionem discutiendam adhibeo primum aliquot hypotheses. Deinde ex iis statuo duas conclusiones. 3. Prima hypothesis. Differentiæ loci in quibusdam corporibus sint φύσει & re ipsa, ut in animatis, nempe plantis & animantibus: In quibusdam respectu ad aliud, ut ad nos. In planta ea pars sursum dicitur per quam attrahit nutrimentū, ut radices. Deorsum verò, per quam emitit superfluitates: ut sunt folia, fructus. Dextrum in animali dicitur pars, unde incipit motus animalis. Sinistrum pars opposita. Ante, pars in qua siti sunt sensus exteriores, unde & facies hominis dicitur pars anterior, &c. 4. Reliquæ hypotheses deinceps afferendæ sunt ad explicationem propositæ quæstionis necessariæ, & tandem subjiciendæ conclusiones. In primis autem id requirit lex ordinis, ut propositionibus subjiciantur a consecutaria, nec hæc ab illis divellantur. Quia consecutaria ut posteriora extruuntur, ac deducuntur ex propositionibus ut prioribus: Ac fap-

(2)

Horum nomine
in Vitellone
est: ex quo
patet.

ciunt theorema & consecutarium Enthymema: cuius illud antecedens, hoc consequens est. Vitellonis & Alhazeni optica cum theorematu quidem egregia & luculenta continent: hanc tamen legem in iis violatam aliquibi, docuit me diligens eorum lectio. Minus tamen confusus est Vitello quam Alhazenus. Insignis enim optici Friderici Risneri judicium de Vitellone amplector, idq; de universalis ordine in hujus libris opticis interpretor, ut omnino interpretandum est, id quod res ipsa lectori methodico ostendit, Vitello singulari ordine maxime naturali (Curseis haec est) per sua genera speciesq; opticam, catoptricam, mesopticam dispositum, artemque totam mirabiliter absolvit. Quid plura? Si artis opifex atque autor habendus sit, qui arti formam animamq; dedit, Vitello jure optimo Opticæ artis autor habetur.

Vitello pro greditur à simplicioribus ad compositiones, à communione sibas ad propria. Exemplum violati ordinis: Hactenus Risnerus, qui adjutus Petro Ramo Vitellonem & Alhazenum restituit, & à mendis expurgavit. Exemplum autem neglegenti ordinis est in Vitellonis lib. 4. Ubi 7. theorema sic habet: Omnia æqualia visibilium, quod à propinquiori videtur, sub majore angulo videtur: Quod verò à remotiori, sub minori. Theorema verò sic est: Äquium visibilium inæqualiter à visu distantiū æquali intuitu visorū propinquiores certior est visio. Hoc

Hoc posterius consecutarium est septimi. Itaq; septimo immediatè subjici debuit sic. Itaq; illud certius: hoc verò incertius videtur. Sequi hic debebat quod in Vitellone est 20. theorema. Omne quod sub majore angulo videtur, majus videtur: & quod sub minori, minus. Itaq; idē sub majori angulo visum apparet majus seipso, si sub minori angulo visum sit. Sed idem Vitello hanc legē observavit lib. 3. theor. 18. Ei enim statim annexuit corollarium. Th. 18. Omnium formarum visibilium distincta visio sit secundum pyramidem, cuius vertex est in centro oculi: basis verò in superficie rei visae. Corol. Itaq; Omne quod videtur sub angulo videtur (scilicet divisibili per axē pyramidis radialis in superficiem viāns perpendiculariter incidentē). Non igitur sub angulo contingentiæ, qui est indivisibilis.) Et libro 3. 2. theorem, Inter quodlibet punctum superficie rei visibilis, & aliquod punctum superficie visus producuntur rectæ lineæ, ut res actu videatur. Itaq; solum in oppositio ne rei visæ ad visum sit visio: id est: visibile visui oppositum videtur: ut ait Alhazenus. Nam ab aliis partibus quam ab oppositis directe non potest linea produci à punctis visibilium ad puncta superficie visus. Omniaq; voluit Vitello tenere ordinem à communioribus ad propria, à simplicioribus ad

composita, (ut à simplici visione ad compo-
sitam, id est, reflexam & refractam) à princi-
piis ad principiata, ut à definitionibus hypo-
thesibus & petitionibus ad theorematum ab
his ad conjectaria: lege ordinis solutus esse
noluit: et si alicubi in magno & laborioso o-
pere ~~avocari~~ quædam appareat, quam imi-
tari nolim: sicut nec hoc, quod quidam divi-
sionem meteororum præponit causis eorum
universalibus.

PROBLEMA XLVII.

VIdem neq; Alhazenum neq; Vitello-
nem Opticam, neq; Euclidem Geome-
triæ Elementa, neq; Aristotelem Ethicam,
Physicam, & Organum suum à defi-
nitionibus harum disciplinarum incoalle.
Quocirca moveo quæstionem:

*An omnis ordinis sit auspicari disciplinam à
Definitione?*

Contra eos
qui volunt.
non necesse
esse discipli-
nam à den-
itione or-
dini.

EQUID EM commune esse statuo omnis
omnibus suis numeris & partibus ab-
solutæ, ut ordiatur à disciplinæ definitione,
ut intelligatur instituti natura & summa o-
mniumq; præceptionū *τέλος συντιμώτατον*, id
est, scopus & finis ultimus. Sed quid in cōtra-
riā à Zabarella, Carpentario, Everh. Dygbeo
afferatur sententiam, simul carptim expendo.
Zabarell. Definitio, ait, scientiæ non est pars
ipsius

Ipsius disciplinæ, sed proœmium: sed extraneum quiddam & arbitrarium. Ergo non necessariò adhibetur. 2. Totus ordo in sola tractatione & in rerum consideratarum serie comprehenditur, non in earum propositione. Definitio vel descriptio disciplinæ alicuius non est tractationis, ideoque nec disciplinæ pars, sed tantum propositio quædam, qua summatim proponitur, quid sit tractandum. E. Ordo nō respicit disciplinæ definitionem. 3. Omnia ordinum commune est incipere à principiis cognitionis. Definitio non est principium cognitionis. Ergo ordo non incipit à disciplinæ definitione. Assumptum probatur. Principia cognitionis sunt, ex quo, rum cognitione aliorum cognitio pendet, & quibus sublati totam illam disciplinam corruere necesse est. Ex definitionis disciplinæ cognitione reliquorum omnium cognitionis non pèdet, nec sublata illa definitione ipsam disciplinam corruere necesse est. Ergo definitio disciplinæ non est principium cognitionis. 4. Alii specialius, quod eodem redit, sic argutantur. Physicæ scientiæ definitionis cognitio nihil confert ad præceptionum physicarum cognitionem: Geometriæ definitio non est principium cognitionis magnitudinum & figurarum. Περιώσει definitionis logicæ nihil ipsius artis didicisti: Sed tum discere

**Objectionū
solutiones.**

scere incipis, cùm primum gradum hujus artis accepisti, quo intellecto ad reliqua pergere facilius possis. Ergo non necessariò definitio Logicæ vel Geometriæ auspicatur disciplinam, sed nostro arbitratu amoveri potest, integrâ manente ipsa disciplina. Ad hæc omnia respondeo: 1. Ipsa disciplinæ definitio videtur mihi esse primus & summus disciplinæ gradus, à quo ad proximâ quæq; descendendum est. Intellecta definitione, que communissima est, ad reliqua pergere facilius est. Ea enim (definitio) subjectū vel finem & adæquatum disciplinæ ostendit. Subjectū autem vel finem proprium disciplinæ alicius ignorare, præterquam quod per se turpe est, est versari in ea, ut hospes versatur in ignota regione. Ex definitione Dialecticæ didicisti ejus facultatem, ut quod sit ars docens, quomodo sit differendum de quovis proposito. Ex definitione ejusdem judicare potes, si nè præceptum logicæ alicujus scriptoris homogeneum, an heterogeneum, propriū an impro prium seu alienum, 2. Ut maximè dem: Definitionem disciplinæ non esse principium cognitionis: tamen hoc negari nequit, quod sit quasi via & janua ad principiū cognitionis. 3. Sit sanè definitio disciplinæ procēdium totius disciplinæ: at necessarium hoc est, saltem ex hypothesi, nempe si com modè

modè docere disceréve velimus, ideoq; non
omittendum. 4. Definitio, inquiunt, non est
pars disciplinæ: Concedo, non esse partem
principalem: Partem verò integrantem mi-
nus principalem non esse, non concedo. Alii
hæc objiciunt: 1. Discentes prænortint de-
finitionem. Ergo eam initio docere superva-
caneum est. 2. Confusa est definiendi ratio.
Ergo est obscura. Omittenda igitur. Hic re-
sponsio ad prius hæc est: Antecedens negant
& ipsi artium discipuli & doctores definitio-
num suo exemplo. Ad posterius verò hæc:
Primum, si aliquid valeret hæc ratiuncula,
prosperus nihil in arte esset definiendum, quod
est ἀλογων. Secundò nego antecedens: Quia
definitio explicat & planum facit definitum.
Tertiò: sit sane definitio aliqua obscura pri-
mò discenti: At obscuritas ea declaracione
docentis tollenda est. Præterea ajunt: Defi-
nitio est ratio multorum brevis & unica. Er-
go eam primò discere est confusionis me-
thodus. Resp. Hoc est ἀλογων λογιζεσ, con-
cludendo nihil concludere, ceteroquin semi-
per proponenda & discenda esset definitio
ultimo loco, nempe cum tractationis alicu-
jus finis est. Addunt: In simplici themate tra-
ctando & in compendiis à definitione ordi-
nata licet. In composito verò & tractatu fusiore
seu diffusa artificiosaq; disciplinæ explicatio-
ne non

Alia obie-
ctio.Solutio.
Non magis
cohæterehæc videtur
inter sequam ferru-
cum luto,

Obiect.

Solutio.**I. Carpent.
Obiectio.**

ne non licet. Resp. Quasi verò, cùm partes quæstionis conjunctæ sunt ambiguæ aut obscuræ, non sint aperiendæ definitione: Et, quod licet in compendiis, non multò magis idem liceat in omnibus numeris expleta absolutaq; artis doctrina. Quod tribuis rivulis, cur hoc denegas fonti? Sed quid, inquis, de Euclide & Aristotele? Aristoteles methodi artifex eximius non incepit organum à definitione. Ergo incipere à definitione nihil necesse est. Geometer debet incipere, nō à summa rei, sed à primis elementis Geometriæ. Ergo non debet Euclides primò definire Geometriam. Resp. 1. Non tām quid factum sit ab Aristotele, quām quid fieri debuerit, spectandum. 2. Geometer incipiet à definitione Geometriæ, cùm hæc sit explicationis totius fons, vel certè cognitionis vestibulum, & tanquam perimeter omnia germana præcepit comprehendat ac concludat; & integrum totius disciplinæ veluti statum constituat. Sed velitatiunculam hanc abrumpo, & illius iudicium tibi subjicio, qui statuit generalem definitionem vel descriptionem disciplinæ esse totius disciplinæ quasi animam vitali spiritu per omnes præceptiones diffusam, omniesq; quasi animantem, illuminantem, vegetantem. Quod si ita est, in integro disciplinæ systemate ejus definitio non est omitteda.

Non

Non tamen litigabis cum Zabarellæ & seclis:
 Dare illis potes, definitionem disciplinæ non
 esse necessariam absolutè seu necessitate sim-
 pli, modò tibi dent esse necessariam neces-
 sitate ex hypothesi, quæ est propter finem,
 ut facilius & melius doceas discasvæ. De hac
 necessitate intellige Scaligerum i. exerc. ubi
 ait: Tui consilii quasi agens interpretem ejus
 initium rectè ducis à definitione subtilitatis,
 quam sic statuis, &c. Oportet igitur priùs vocis
 ipsius usum cognoscere, à quo sàpenumero
 provehîmunt in rei perceptione, quemadmo-
 dum Plato & Aristoteles ostendunt. Hacte- In Cratyle.
 nus Scaliger. Ad finem propositæ quæstio-
 nis obseruent studiosi, interdum non posse
 dari satis commodam rei definitionem: Tum
 igitur aperiri rei naturam divisione (quæ
 quasi definitio est per disjunctionem facta) &
 membrorum divisionis definitione: ut Ens
 definiri non potest. Incipitur igitur à distin-
 ctione & divisione ejus.

P R O B L E M A X L V I I I .

Ne nos lateat: quod λόγος, qui à principiis, & qui ad
 principia differant, &c. Et: FORTÉ ab iis quæ
 notiora sunt nobis auspicandum est, ait Aristoteles
 in Ethicis lib. i. cap. 4. Estne intelligendum hoc de
 ordine, an de via doctrinæ?

Ampli.

Locus

Sic & Zui-
gerus.

In scholis.

Simile à sta-
dio dromis.

Locus hic Zuingero, egregio Analyticō videtur obscurissimus, & Delio natatore opus habere. Petrus Martyr, & doctilli- mi quiq; accipiunt de τορείᾳ seu via doctrina; seu modo ac ratione declarandi & probandi finem vitæ practicæ: statuuntq; Atistotelem velle hīc ab effectis, ut honestis actionibus, ad causam progrediendum. Dicitur, inqui- unt, hoc loco Aristotelis: Duplex est via pro- bandi seu docendi μεθόδιον: Una est progres- sio ἀπὸ τῶν ἀρχῶν, id est, à principiis ad ea quæ ex illis concludiuntur, id est, à causis ad effec- ta. Hæc est Methodus συνδεπνή, & vocatur probatio à priori, affertq; cognitionem τῆ- διόν, id est, quamobrem. Altera est quasi re- gressio à posterioribus ἐπὶ τὰς ἀρχὰς ad prin- cipia, id est, ab effectis ad causas. Hæc est me- thodus ἀναλυπνή, & affert solum cognitionē- τον, quia tantum tem esse ostendit (noti et- iam ejus causam) Ac vulgo vocatur A pos- teriori. — Hanc duplīcem viam docendi seu probandi in disciplinis ostendit Aristoteles simili à stadio, seu curriculo, seu loco in quo certat cursores. In eo enim sunt duo termini: Unus, à quo fit initium cursus, quem latini vocant carceres: alter, ad quem cutritur, qui dicitur meta seu scopus. Quemadmodum igi- tur in stadio interdū à carceribus decurritur ad metam: interdum contrà à meta recurri- tur

tur ad carceres. Ita in disciplinis interdum probationes syllogisticæ, seu argumentationes fiunt ex principiis: interdum verò revocantur ad principia (id est, petuntur ab effectis.) Quæritur ergo, qua via probandi in Ethica sit utendum? Respondet Philosophus: Initium faciendū à notioribus. Notiora autem sunt duplia: Vel enim sunt simpliciter & natura sua notiora, ut sunt universalia, primaq; rerum principia & causæ. Vel sunt notiora nobis, quæ nimirum primò se sensibus nostris offerunt, ut sunt singularia & effecta. In hac ergo doctrina incipiendum nobis ab iis quæ sunt nobis notiora, id est, ab actionibus virtutum, & ex illis progrediendum est ad ipsos virtutum habitus. Nam actiones cadunt sub sensu, & à quovis facile possunt animadverti & cognosci. Virtutes verò ipsæ, quia qualitates sunt abstractæ, non nisi mente percipi possunt. Est igitur, inquit, totius hujus loci argumentatio talis: Quæ in alijs doctrina sunt nobis notiora, per ea debet fieri explicatio & probatio. Sed in morali philosophia actiones virtutum nobis sunt notiores, quia sunt rerum singularium, & inveniuntur in sensu. Ergo in doctrina morali probatio fieri debet ex virtutum actionibus. Hanc interpretationem, quæ communissima est, videntur posse probare primum ex

Tria argu-
menta.

eo, quod Aristoteles hic non nominat ordinem, sed $\delta\delta\nu$: Secundò, quia methodi non ordinis est à notioribus nobis progredi. Tertiò : quia $\lambda\delta\gamma\mu$ significant argumentationes. Sed Zabarella repugnat. Ait : ob id nota nobis hic non videntur intelligenda esse ea, quae sunt opposita notis natura, sed communiter & indistinctè ea quæ sunt notiora nobis, sive eadem sint & natura nota, sive non sint : nisi dicamus, nota nobis sumi, ut distincta ab illis notis natura, quæ nobis sunt ignota : ab his enim non est ordiendum. Ac primum argumentum ei est infirmum, cum & $\delta\delta\nu$ & $\mu\mu\nu$ $\delta\delta\nu$ sæpe pro ordine ab Aristotele & aliis Græcis accipiatur. Etenim si ipsarum vocum significationem & naturam spectemus, non minus ordinem, quam speciatim methodum dictam denotare possunt. Utrobiq; enim est $\tau\omega\mu\mu\alpha$ seu progressio ab hoc ad illud. Distinctio autem ordinis & $\delta\delta\nu$ inventa fuit doctrinæ gratia ad evitandam ambiguitatem & obscuritatem, non verò ex ipsa vocum proprietate desumpta est. Ad secundum argumentum respondetur à Zabarella negatè. Omnis enim ordo artificiosus cognitionis est à principiis nostræ cognitionis, seu à notioribus nobis secundum nostram distinctam, propriam & perfectam (in proposito disciplinae generi) cognitionē. Sententia igitur de controverso

troyerso Aristotelis loco Zabarellæ hæc est: Dubium est, inquit Aristoteles, an Ethica sit tradenda ordine à principiis, id est, compositivo, an ordine ad principia, id est, analytico. Respondet Aristoteles: A notioribus nobis esse incipiendum citra considerationem, an sint principia, nécne. Hanc sententiam munit duobus argumentis Zabarella: nempe tum vi verbi Incipiendi, quod id soli ordini, non methodo speciatim dictæ conveniat. Tum iis quæ capite tertio dixit. Si dubium Aristotelis, A principiis ne an ad principia via tendenda sit, esset quæstio, Utine debeat demonstratio, quæ est à priori, an verò ea quæ est à posteriore, non constaret sibi Aristoteles. Tertio enim capite dixit se argumentis tantum communibus & vulgaribus, qualia subiecta materia requirat, usurum esse. Quid igitur dubitet in 4. capite, utra demonstratio nisi specie uti debeat? Ac sanè si in tertio capite de methodo verba fecit, quam ad res ignotas declarandū in Ethicis servaturus est: non est verisimile in 4. capite iterum eum loqui de ea voluisse: τωτολογία hæc vitiosa fuerit. De ordine igitur Ethicæ quarti capituli verba accipienda. Sed adversarii Zabarellæ hic fortasse regerent primùm: verbum Incipiendo etiam ad Methodum accommodari posse. Methodus enim via est & dicitur. In via au-

Sic de auditore Ethica monet & 3.
& 4. cap. Deinde Aristotelem tantum tertio capite in genere monere: In hac doctrina non esse requirendas exquisitas & accuratas probations, sed verisimiles, quod materia etiam Ethica sit talis seu probabilis: In specie vero debeatne probationes illae à priori an à posteriori esse, ibi nō docere, sed in capite quarto. Ad tertium argumentum: Aristotelem non loqui de ordine, sed de dupli argumentorum genere, respondetur: λόγος nō necessariò verti rationes, argumenta, demonstrationes, argumentationes. Sæpe enim sunt λόγοι sermones, explicationes, tractationes. Lambinus hic vertit vias: quæ vox ambigua est, & tam de methodo probandi ac declarandi, quam de ordine doctrinæ accipi potest. Quare hanc controversiam Zabarellæ cum aliis in medio relinquo, nec eam facio meam.

PROBLEMA XLIX.

An ordo sit à prioribus tempore ad posterioria.

IN narratione historica ut prius tempore præmittatur, suadet naturalis ordo. Itaque ibi rerum gestarum seriem & tempora sequimur. In parte Symboli Apostolici de Christo præterita præcedunt: Quod adhuc fit, medio loco est: Futura sequuntur. Præterita sunt passio, mors, sepultura, resurrectio, ascensio,

alcentio in cœlum. Adhuc fit & durat sessio ad dextram Omnipotentis. Futurus est reditus ē cœlo ad judiciū. Idem ordo in Theologiae etiam methodica conformatio servari videtur. In ea inquam series temporum & rerum à principio ad finem usq; continua tur. Primum enim de æterno Deo & distinctione personarum ac harum proprietati bus. Deinde de creatione facta in tempore, & sustentatione naturæ. Tum de lapsu primorum parentum: & peccato secuto hunc lapsum. Mox de gratia nobis exhibita per Christum: & dono per gratiam: De sigillis item gratiæ: Post hæc de extremo iudicio, de gloria denique piorum, & ignominia impiorum agitur. Et tamen hic ordo propriè dicitur ordo à natura & intellectu prioribus ad posteriora; cum quo concurrit non raro, ut hic, ordo à prioribus tempore. Sic, cùmpictor picturus aliquod simulacrum primum adumbrando quasdam γεγματις dicit, deinde membra format, tum totum corpus simulacri vivis coloribus expressum absolvit, γεγματις seu lineæ & lineamenta membris singulis & toti corpori priora sunt natura, origine, tempore. Hujus rei exemplum illustre etiam suppeditat naturalis formatio hominis in utero materno: de quo anatomici libri consulantur.

PROBLEMA L.

*An universale secundum doctrinæ ordinem
possit esse posterius.*

Affirmatur.

ET si intellectus noster percipit & singularia & universalia: Universale tamen est præcipuum *vontor*, seu est principale intellectus objectum. Atque disciplinæ ab universalibus ad singularia usq; descendunt. Verumtamen in disciplinæ aliqua particula aliquando, et si rarius, accidit ordinis quædam anomalia, ut minus universale præponatur universali: ut planta universalius naturâ prius & simplicius quid est quam animal: at quia nobis sunt notiora membra in animalibus quam in plantis: iccirco Aristoteles de illis prius quam de his egit. Sic igitur licet inferre: In doctrinis non à principio rei aliquando incoandum, sed unde quis facilius discat. Initio 5. Metaphys. A minus universalibus aliquando aliquis facilius discit, quando sunt nobis notiora, quam universalia, ut exemplo jam ostensum est. Ergo aliquando à minus universalibus ad universalia procedendum. Sed non sit hoc in initio disciplinæ, sed in medio, vel fine. Et quidem, ut dixi, hæc ab ordine instituto deflexio sit in aliqua disciplinae particula. Hic fortasse obiter quæreris: Quid hoc

Excep^{tio}n^s.

hoc est? Universale aut nihil est, aut posterius, Obiect. ait Aristoteles lib. 1. de anima, quomodo hoc intelligendum est? Resp. primum: Universa- Solutio. le, scilicet abjunctione à singularibus, nihil est: re ipsa enim existit in singularibus. Scalig. ex- erc. 307. sect. 22. Vel in singularibus actu non existit ante omnem animi operationem. Se- cundum: Universale posterius est, quatenus Vniversalē nihil est ex- consideratione est in anima, ex ipsis singula- tra intelle-ribus vi & fictione animi elicium: hoc est, etum & extra effectum vel per abstractionem à singulari- bus, vel per comparationem singularium in- ter se. Prius interim est universale minus uni- versalibus: ut sumitur pro natura communi, seu re universali, pluribus communicabili: ut cùm dico: Et Petrus & Paulus est homo. In utroq; enim inest humanitas. Sic animal su- mitur pro natura sentiente, vivens pro natu- rā vivente, corpus pro natura corporeā. Re- spondent alii: Universale consideratum, quo- ad existentiā seu ut existens, posterius quip- piam est: singulare verò prius: quo etiam re- spectu rectè dicitur, ablatis primis substantiis fieri non posse, ut aliorum quippiam super- stes maneat. Sed consideratum seu acceptum ut intellectum, prius est singularibus: ideoq; in ordine doctrinæ præcedit. Quam ob cau- sam Porphyrius dixit: Destructis speciebus rationem generis posse remanere.

Sic univer-
sale ut genus
est pars es-
sentiæ spe-
ciei, seu est in
essentia spe-
ciei.

PROBLEMA L.I.

*An in benè ordinata doctrina, cùm quid distribuitur,
affirmatum membrum, præcedat negatum?
exempli causa: habitus privationem?*

Quorundam præceptum est; In distribu-
tione præcedat affirmatū : sequatur ne-
gatum : ut lex est εγέρει (scripta:) vel
ἀλεῖται (non scripta) scilicet consuetudo. Syl-
logismus est perfectus vel imperfectus : E-
nunciatio est ajens vel negans: Ajens est fini-
ta vel infinita. Sic naturalis δύναμις præcedit
ἀδύναμιαν in doctrina Categoriarum qualitatibus.
Hoc præceptum non est prorsus necessarium
& perpetuum. Nam (ἐνάστασις gratia) in phy-
sicas imperfecte mixtum præcedit: perfecte
mixtum sequitur. Inanimatum antecedit ani-
mato, non sentiens sentienti. Tu igitur hoc
teneto. 1. Si ab affirmato liberalis & artifi-
ciosa cognitio negati dependet, præcedat af-
firmatum: ut: in Physica: Temperamentum
est æquale vel inæquale. In Ethica: Amicitia
est perfecta vel imperfecta, In Astronomia:
Eclipsis partialis est dimidiata vel non. Non
dimidiata est major vel minor. In jure: Fur-
tum est manifestum vel nec manifestum. I. 2.
ff. de furt. Catus. Sic attributio regularis præ-
cedit irregularem, in logica, 2. Si negati ex-
pliatio lucem affert affirmato, præcedat ne-
gatum:

gatum: ut: In physica: Animalium aliud est
 $\alpha\lambdaογον$: aliud $\epsilon\lambdaοσον$. Hoc in explicatione multa sumit ab illo. 3. Quod si neutrum horum admodum conferat vel quicquam faciat ad alterius cognitionem, præponendum est natura, origine, ratione, prius, simplicius, universalius: Ut Res (in Jurisprudentia) sunt corporales: vel incorporeales. Numerus est par vel impar. Lex Dei aut est nec pronunciata, nec scripta: ut lex naturæ: aut pronunciata quidē, sed non scripta: ut lex de non edendo fructu certæ arboris in paradiſo: aut denique & pronunciata & scripta est: ut Decalogus. 4. Ceteroquin ordo est arbitrarius: ut hic: Homicidium voluntarium fit sine causa; velex causa. 5. Quanquam etiam præstantiæ & dignitatis consideratione sæpè præponatur affirmatio negationi. Notandum hic: Interdum negatum habere vim affirmati: ut lex ^{Sine habet vim negationis & sæpi} privationis, est non scripta, id est naturalis: vel scripta, id ^{l. non est sine} 148. ff de est positiva. Numerus est incompositus, id ^{verb. signif.} est primus: vel compositus. Donatio est vel mortis causa, vel non mortis causa, id est, inter vivos, (Parum autem interest, sive in jure hoc, sive illud divisionis membrum præponas, quia æquè nota sunt.) Sic in doctrina enunciatorum, enunciatum sine modo, quod opponitur modificato, idem est quod purum seu absolutum.



EXEMPLUM ORDINIS

Analytici ὡργανικὸν.

I.



Podictice est pars Organii docens rationem
comparandi scientiam. Itaque Ἐρεπτός
ἐπισήμους dicitur.

- Progressio à notione finis ultimi, qui est scientia, ad instrumētum quo amus nos. 2. Scientia est rei firma certaց cognitione per demonstrationem.
3. Demonstratio est syllogismus faciens scire ex notioribus nobis, necessariò veris.
4. Hæc sunt affirmata vel negata.
5. Affirmata sunt κατὰ ταῦτα: ναῦς αὐτὸς, οὐ παρίτ. Σόλος ἀρωτόν.
- A fine progressio ad principia definitiones & hypotheses. 6. His inserviunt Κοινῶν εὑροται, seu aximota, demonstratio. 7. Demonstratio est potissima seu primaria, vel secundaria, seu minus princeps. Conditions 8. Demonstratio primaria (quæ & absolutè sine nū affirma- taurum ingre- dientiū de- monstratiō- nēm. 9. Ac dicitur διάπο & διόπ propter Quid: & A causa prima, id est, proxima: quia effectum per sim- pliciter proximam causam demonstrat. Ac sit in pri- ma figura in modo universalī affirmato: rarius in se- cunda figura.

10. Demonstratio secundaria est, quæ causam ex ef- fectu

fectu, vel effectum ex causa remota concludit. Dicitur
enī, quia notum tantum facit, quod si res, non etiam
propter quid sit. Itaq; demonstratio secundaria est vel
ab effecto, vel à causa remota.

11. Demonstratio à remota causa fit in secunda fi-
gura plerūq; raro in prima: quod fit cùm causa cum
effecto reciprocatur.

12. Singulis modis seu gradibus demonstrationis A tractatio-
explanatis, finis deinceps seu effectus Demonstrationis, ne principio-
Scientia, explicatur divisione, & graduum distinctio-
ne (ut scientia est una vel plures: Scientiarum una est
exquisitor & certior; alia minus exquisita:) & tan-
dem scientie verum subjectum ostenditur: ut sciatur,
quæ à scientia removenda sint.

Initium Informationis HARMONICÆ.

1. Musica est disciplina benè canendi: id est, cōtem-
plandi & exercendi cantum. Eodem sensu Harmoni-
ca dicta, quia in harmonia sonorum versatur.

2. Concentus est sonorum temperantia, suaviter
aures afficiens, seu est sonorum mixtura, quæ ob au-
xilium jucundè auribus accedit.

3. Sonus harmonicus est sonus diastematicos, id est,
intervallis distinctus, & ad benè canendum accom-
modatus, seu φωνή est sonus vocis è muetis, seu an-
ptus μέλος in unam intensionem. Alias τάσις: propriè
τάσεις seu tensiones dicuntur in instrumentis;

4. Sonus, cùm percussio quedam aëris sit, ad audi-

tum usq; in dissoluta, non est sine pulsu. Pulsus non est sine motu. Motus autem alii sunt crebriores, concitatores & velociores: alii rariores, minus concitati & tardiores.

5. Hinc sonus gravis est vel acutus.

6. Crebriores motus velocioresq; faciunt sonum acutorem. Rariores vero & tardiores graviorem: Id est: Soni acutiores sunt, qui crebrioribus & pluribus motibus constant. Graviores, qui ex ravioribus & paucioribus motibus conflantur.

7. Itaq; 1. soni aequo acutiores mediocritatem consequentur subductione seu detractione motuum, quae fit remissione. Soni aequo graviores mediocritatem consequentur additione seu adjectione motuum, quae fit intensione.

8. 2. Soni e partibus componuntur: (cum earum adjectione vel ablatione magis minusve acuti illi redundantur: & quod magis acuti soni sunt, hoc plures partes motus, quo feritur aer, requirantur: quod graviores, hoc pauciores.)

9. Itaq; soni inter se numerorum ratione habent. Singulae enim partes repræsentant unitatem: & id quod ex singulis partibus constat, respondet numero.

10. Ea autem, quæ secundum numerum conseruntur, sibi sunt aequalia vel inæqualia.

11. Itaq; soni sunt aequales vel inæquales.

12. In vocibus, quæ nulla inæqualitate discordant, est unisonus.

13. In vocibus inæqualibus, id est, distantibus inter se, est consonantia.
14. Unisonus est symphonie, id est, consonantiae initium.
15. Consonantia est dissimilium inter se vocum concordia, Itaq₃, intervallatarum.
16. Intervallum seu diæmum, est quod continetur duobus sonis, acumine & gravitate differentibus. Hujus variae sunt species: Secunda, tertia, quarta, &c.
17. Intervalorum aliqua sunt consona, aliqua dissona.
18. Consona sunt in quibus soni ita permiscentur, ut una ex ambobus temperatio fiat.
19. Consona sunt Diapason, Diapente, Diatessaron, Diapason cum Diapente, Disdiapason.
20. Dissona seu dissonantia contrà sunt, ex quorum sonis inter se permisisti talis temperatio non fit.
21. Consonis tribuitur multiplex & superparticularis ratio. Diapason consistit in dupla: Diapason cum diapente in tripla: Disdiapason in quadrupla: Diapente in sesquialtera: (id est, in diapente unius sonus alterum continet semel cum dimidio alterius) Diatessaron in sesquiquarta.
22. Dissonis convenient rationes superpartiens, multiplex superparticularis, & multiplex superpartiens.
23. Itaq₃ additio vel subtractio unius intervalli ad alterum vel ab altero, nihil aliud est quam additio vel subtractio unius rationis, quam inter se habent extremi

extremis toni intervallorum, ad alteram vel ab altera
 24. His subjicienda sunt theorematum Euclidis de
 Intervallis: Si intervallū &c. postea sequitor doctrina
 de systemate ipso: & accedito propius ad Melo-
 pœiam, id est, rationem compositionis cantus, facien-
 di symphoniam.

EXEMPLUM ORDINIS

Cvrdettkꝫ Geometriæ.

Geometriæ hæc est ſuſtutio, in qua clarissimè vides
 progressionem à generalibus ad ſpecialia, à simplici-
 bus ad composita, à principiis ad inde orta.

1. Definitio generalissima primo loco eſt. Ea eſt de-
 finitio ipsius ſcientie.
2. Ei ſubjicitur: Subjectum generale adēqua-
 tum. Magnitudo: ut jam intelligas Geometriam eſt
 mathesin seu ſcientiam magnitudinum bene dimeti-
 endarum.
3. Mox ſequuntur PRINCIPIA prima & sim-
 plicifima magnitudinis, punctum & terminus.
4. Proxime his ſunt communes affectiones plurium
 magnitudinum in numeris & Geometrico concurſu.
5. Tandem ſuccedunt species ipſe, ſeu diviſio ma-
 gnitudinis in ſpecies, nempe magnitudinē, aut uniu-
 dimensionis, quæ linea eſt: aut plurium: que ſuperfi-
 cies & corpus.
6. Hic ſequitur primū absoluta, deinde compa-
 rata conſideratio Lineæ. In absoluta traduntur Ge-
 nesis Lineæ cum Conſectario: Diviſio Lineæ in rectam
 & curvam

& curvam: Affectio curvæ cum suo consectorio: Divisio curvæ. In comparata considerantur Lineæ inter se concurrentes & non concurrentes.

7. Post hæc, facta transitione, explicatur de magnitudinibus plurium dimensionū, in quibus plus quam longitudo consideratur: Ubi primum de angulis: deinde de figuris, tum primis ac simplicissimis, tum ortis & compositis. His semper præcedunt communia, particularia & propria sequuntur.

E X E M P L U M O R D I N I S D O-

ctrinæ synthetici Physicæ: qui & natu-
ræ est procreantis.

*Physica est corporum naturalium scientia. Scien-
tia: quia effectus naturales per eorum causas demon-
strat. Corporum naturalium, quā talia sunt. Hoc sci-
licet est adæquatum physicæ (speciatim acceptæ) sub-
iectum. Itaq; Motui obnoxiorum. Subiecti hujus ex-
plicationis partes sunt tres. Prima ἡ τετραγωνοῦ rerum
naturalium Catholicarum. Secunda de communib;
earum accidentibus, ut sunt Motus, Locus. Tertia de
Mundo & partibus ejus, seu speciebus corporum natu-
ralium, ut sunt Cœlum, Elementa, Meteora, Metal-
la, stirpes & animantia. Itaq; Physiologiae partes rectè
constituuntur duæ: Communis & Propria. Commu-
nis est, quæ communissima omnium rerum natura-
lium cùm principia, tūm accidentia explicat. Propria
seu particularis, quæ ad specialia seu particularia de-
scendit.*

192 PROBLEMATA LOGICA
EXEMPLUM ARITHMETICAE
cum Ordinis præceptorum Regulæ Falsi, ubi
finis principio præponitur: quia finis ex-
plicatio absq; principii explica-
tione haberi potest.

Caput I.

Regula positionis seu hypotheseos est, quæ ex certo
numero positio vel pluribus verum invenit.

Regulæ veri proprietas generalis est ratiocinatio
propositæ ratiocinationi similis.

(a) Quia finita sunt ut ars ipsa.
Hujus ratiocinationis a extrema finis & principium b neglectis mediis explicanda sunt.

(b) Quia infinitorum generum sunt.
Finis est duorum inter se numerorum collatio.
Horum alter cognitus, alter inventus dicitur.
Cognitus est qui cum invento comparatur, estq;
datus aut homologus.

Datus est cognitus qui in ipsa quæstione datur.
Homologus est cognitus quæ ratiocinatio invenit.
Homologus dicitur, quia datæ postremæ rationis
termino homologus est.

Homologi termini sunt termini rationum aequalium vel antecedentes inter se, vel consequentes inter se: ut 1 ad 2, sic 3 ad 6. hic 1 & 3 homologi sunt; id est dicendum de 2 & 6.

Inventus est qui cum cognito comparatur.
Hunc ratiocinatio semper invenit. Sive enim datus, sive homologus cognitus sit, ratiocinatio aliquem semper cum ipso cognito comparandum invenit. Cognito igitur comparatus rectè inventus dicitur. Nullus

Merum autem ipsi invento comparatum/ cognitum appellavi/quia is si datus sit/ex thesi, si homologus sit/ ex fabrica cognitus est.

Exposito ratiocinationis fine ad illius principium transeundum: Nostræ igitur ratiocinationis principium est positus numerus, à quo ad institutam cogniti & inventi collationem commode progredimur.

Hinc patet, si à posito numero ad institutam collationem progredi non possumus, hujusmodi positum nostræ ratiocinationis legitimum caput non esse.

Caput II.

Regula positionis est verae, vel false.

Numerus enim positus est verus vel falsus, id est, aberrans.

Positus verus est, quando inventus cognito æqualis est.

Si, exempli gratia, ad id quod habes unam ejus secundam tertiamq^z addam, dicis te habiturum 22. ju- beor dicere quem numerum habeas. Pono te habere 12. ejus¹ &² sunt 6 & 4. que partes additæ ad 12 sunt 22. Hic inventus 22 dato cognito 22 æqualis est: positus igitur 12 verus numerus est, hoc est/ numerus quem habes est 12. Hujus consequentia causa est, quia numeri ad eundem eandem rationem ha- bentes/inter se æquales sunt.

Aliquis salutans auditores ait: Salvete 30. Respon- det unus ex auditoribus. Nostrum non sunt 30. Si ad-

numerum nostrum addas duplum cum dimidio: tunc demum erimus 30. Quæritur ergo quot numero sint in auditorio? Respon. Pono esse 12. Nunc fiat collatio. Duplum 12 sunt 24: dimidium 12 sunt 6. adde 24 & 6, & habes 30. Hic inventus 30 æqualis est dato cognito 30. Positus igitur numerus 12 est verus: id est auditores sunt tantum 12.

Regula positionis verae unius tantum ratiocinationis est. (Itaq; hic positus tantum unus est.)

Dici potest hæc Regula veri, tum ex positione, tum ex fine generali, qui est veritatis inventio.

Exemplum.

Quero numerum à quo & ejusdem triente additis ablatuſ sextans relinquant centum. Pono esse 90.

Huic si addas trientem, prodeunt 120. Ab hoc subducto sextante residuum est 100. 90. igitur positus verus est.

Caput III.

Positus falsus est, quando inventus cognito inæqualis est: Estq; vero numero aut major aut minor.

Inventus cognito illiſ major, hic minor est.

Signum positifalsi majoris quidem sic erit — +, minoris autem sic —

Altias in communi usu haec notæ + & —, plus & minus significant.)

Hic Regula falsi dicitur ex positione. Veri dici potest tantum ex fine.

Regula positionis falsæ modò unius ratiocinationis est: modò duarum.

Regula

Regula seu *wegmatēia* positionis falsæ unius rationationis (ideoq; unicæ positionis) hæc est. Numerum ultimū quæstionis, qui ultimo loco collocandus, multiplicat per hypothesis medio loco ponendam. Factum divide per numerum emergentem ex accommodacione exempli, primo loco statuendum. Quotus est numerus ignotus optatus.

Exemplum. Da mihi numerum, cuius duplum & insuper una secunda dant viginti? Fac numerum illum esse 10. Hac unica positione, licet falsa, beneficio aureæ Regulæ numeratio expedietur, & ignotus perficit. Positionem pone medio loco. Ultimum numerum quæstionis propositæ ultimo: Quod provenit ex comparatione & accommodatione exempli primo loco, sic: 25.10.20.

Nunc multiplicat 20 per 12, factus erit 200: hunc divide per 25: quotus est 8 verus numerus quæsus. Nam 8 in 20 habeo bis, & relinquitur una secunda.

Aliud.

Da numerum, cuius una secunda, una tertia, una quarta dant 65.

Pone seu fac esse 12. Hæc hypothesis falsa est. Hanc colloca medio loco. Ultimo loco 65. Numerum ortum ex comparatione primo loco, videlicet 13. Nam dimidium de 12 sunt 6: tertia pars de 12 sunt 4: quarta pars de 12 sunt 3: hæc addita dant 13.

Nunc multiplicat 65 per 12, factus erit 780. Hunc divide per 13, quotus est 60 verus numerus. Nam 60

dimidium seu semis est 30: una tertia 20: una quarta
ta 15: 30, 20, & 15 addita sunt 65,

Caput IIII.

Adhuc fuit Regula falsae positionis unius rationis:
Sed sequitur Regula falsae positionis, quæ duarum est ratio cinationum, ideoque duarum tantum po-
sitionum.

In ea è duobus positis primus falsus est, Secundus
primi duplus est (exempli causa, si primò sumisti ex-
cessivum vel defectivum 10, postea sumis 20.) & qui-
dem modo verus, modò falsus esse potest,

Regule falsarum positionum duæ sunt:

Prima. Si uterque positus falsus est, signa similia aut
dissimilia sunt. Si similia sunt, ut differentiarum dif-
ferentia est ad primam differentiam: sic primus po-
situs erit ad sui differentiam à vero numero,

$$14 + 5$$

$$28 + 40$$

Ut 35 ad 5: sic 14 ad 2. Ergo verus numerus est 14
minus 2, id est, 12.

Itaque hic differentiae inter se inæquales sunt.

Tumque 1. si uterque positus vero numero major est,
prima differentia minor erit quam secunda.

2. Si uterque positus vero numero minor est, prima
differentia major est quam secunda.

Secunda regula. Si signa dissimilia sunt ut summa
differentiarum est ad primam differentiam, sic pri-
mus positus erit ad sui differentiam à vero numero

6—5

12 → 10

Ut 15 ad 5: sic 6 ad 2. Ergo sex est verus numerus
plus 2, id est, 8.

His addantur exempla, tanquam præceptorum
pades, ex B. Salignaco.

S O L I D E O G L O R I A.



MARPURGI CATTORUM
EXCUDEBAT PAULUS EGENOLPHUS
TYPOGRAPHUS ACADEMICUS, AN-
NO AB INCARNATIONE SALVATO-
RIS M. D. XCVIII.



